DE

PHRYNICHO ATTICISTA

SIVE

DE SERMONIS ATTICI STVDIO

QVO SCRIPTORES GRAECI IMPERATORVM ROMANORVM

TEMPORIBVS ACCENSI SVNT

THESIM

FACVLTATI LITTERARVM PARISIENSI PROPONEBAT

Ios. Brenous

In Facultate Litterarum Monspeliensi colloquiis praepositus

MONSPELII

TYPIS LVDOVICI GROLLIER PATRIS

MDCCCXCV

DE

PHRYNICHO ATTICISTA

DE

PHRYNICHO ATTICISTA

SIVE

DE SERMONIS ATTICI STVDIO

QVO SCRIPTORES GRAECI IMPERATORVM ROMANORVM
TEMPORIBVS ACCENSI SVNT

THESIM

FACVLTATI LITTERARVM PARISIENSI PROPONEBAT

Ios. Brenous
In Facultate Litterarum Monspeliensi colloquiis praepositus

MONSPELII
TYPIS LVDOVICI GROLLIER PATRIS

MDCCCXCV

MAVRICIO . CROISET

SVMMO . VIRO

MAGISTRO . MEO

PIETATIS . CAVSA

DE PHRYNICHO ATTICISTA

SIVE DE SERMONIS ATTICI STVDIO QUO SCRIPTORES GRAECI IMPERATORVM ROMANORVM, IMPRIMIS ANTONINORVM TEMPORIBVS, ACCENSI SVNT.

PROOEMIVM

Neminem fugit quantam utilitatem afferre possit opera in Atticistis qui dicuntur consumpta. Ex Phrynichi enim et Moeridis libellis cum potest paucissimis quidem indiciis cognosci qui fuerit linguae graecae secundo post Chr. saeculo habitus, tum, quod ad codices emendandos spectat, optimi fructus percipiuntur. Sed admodum lubrica est ratio illis auctoribus utendi. Nam et Phrynichi et Moeridis uerba ad nos adulterata peruenerunt, et qui illius grammatici librum nuperrime edendum curauit, coactus est confiteri huius editionis fidem uero ne propiorem quidem esse posse (1) : quo acrius editionem exspectabamus quam uiri harum rerum prudentissimi, L. Cohn

(1) Rutherford, *Phryn.* p. 460. Cp. L. Cohn, in *philolog. Anzeiger*, 1883 (N° 9), p. 463 sqq.; J. Sitzler, in *philolog. Rundschau*, III (N° 43), p. 1348 sqq.

et R. Schoell promiserant. Praeterea de atticarum litterarum studiis bene meritus erit qui illum maximi momenti librum quem Antiatticistam (1) dicunt edendum suscipiet.

Multae insuper sunt lites adhuc sub iudice : uelut qui fuerint grammaticorum Atticistarum fontes, utrum ea quae praecipiunt ex ipsis auctoribus alexandrinis, Aristophane potissimum, repetierint, an aliis interpositis ; quae Phrynichus ex Aelio Dionysio, quae ex fonte utrique communi seruauerit ; rectene Boysen et Naber Harpocrationem saeculo Antoninorum fuisse putauerint , qualis nexus inter Pollucem Harpocrationem ceteros aequales statuendus sit ; qui fiat ut Antiatticista nonnumquam cum Aelio Dionysio et Pausania congruat ; ut, quemadmodum illi, poetas nouae comoediae, quorum auctoritatem Phrynichus reicit, tamquam non improbandos saepius proferat, et Thucydidem, cui Aelius Dionysius et Pausanias praeter ceteros scriptores atticos student, frequentissime laudet ? Has res, quae maximas habent cautiones, soluere mihi non est in animo, cum ad expediendos tales nodos ne doctissimorum quidem uirorum iudicium adhuc maturum esse uideatur. Ceterum numquam resarciri poterit ea iactura quam, deperditis paene omnium scriptorum qui aetate alexandrina fuerunt libris, fecimus.

Neque in praesentia quidem consilium est inquirere

(1) Dubitant an scriptor eius Orus fuerit qui contra Phrynichum fecit et multa ab hoc reiecta uocabula auctoritate probatorum scriptorum ueterum defendit. Cf. Ritschl, *Opusc.* I, *de Oro et Orione*.

quantum Atticistis quantum codicibus credendum sit: quamquam persuasum habeo praeclarissimum Cobetum a uero multum aberrauisse qui Atticistis fidem adiungi uoluerit potius quam consentientibus omnibus codicibus. Constat librarios saepe linguae communis qua utebantur formas in atticarum locum quae in archetypo oculis obuersabantur, scientes aut praeter uoluntatem supposuisse (1). Sed Cobetus non debuit haec quae uera sunt ita ad extremum exsequi ut omnes qui exstant codices improbaret et respueret, ut nihil ab opinione quam de grammatica graeca praeiudicauerat alienum ferret et uerba scriptorum ad notionem emendati sermonis graeci animo informatam accommodaret. Non possunt recte grammaticorum praecepta ad codices expurgandos constanti ratione adhiberi. Nam praeterquam quod Atticistarum doctrina ualde mutila est, procul abest ut tamquam res non dubiae fidei probanda sit. Immo Phrynichi ignorantiam nonnumquam attonito animo miramur. Eruditis illius temporis ars critica nulla erat. Iure igitur meritoque cum alii tum Campbell et Paley, ne Bentleyum et Shilletonem dicam, a Cobeto recesserunt, ne modum excederent. Non probabile est illud Rutherfordi Cobetum sequentis et dictitantis, quoties in aliquo loco haereat, Xenophontem ut ab attico sermone abhorrentem pro nihilo esse, linguam atticam Thucydidis immaturam esse, sermonem Lysiae

(1) Eodem modo Gellius dicit codices latinorum scriptorum optimorum ad linguam qua tum homines utebantur accommodatos esse (xx, 6, 14).

nescio quo lepore attico et festiuitate carere, et quaecumque in codicibus atticistarum praeceptis repugnant ita improbantis ut dicat esse scriptoris neglegentis et parum grammatice instituti. Immo plurimum libertati, quam Graeci sibi uindicabant, tribuendum esse opinor (1) : non obliuiscendum est nonnulla metro concessa esse, et Graecos uarietati ita studuisse ut non possit nisi in singulis locis, exemplorum enumerationibus plene cumulateque perfectis, diiudicari quid ad uerum proxime accedat, quid etiam pro certo habendum sit. Optime rem gerit qui, codicum et grammaticorum auctoritate ad artis criticae praecepta aequo iudicio perpensa, in hac quaestione non uersatur nisi summa prudentia et consilio, ratus quidquid ad dialectum atticam attinet rem esse maxime periculosam.

Quod etiam certius habui postquam eos libros legi quos nuper doctissimus uir germanus de praecipuis

(1) Cf. Keelhoff, in « *Revue de l'Instr. Publ. en Belgique*, XXXVII, 4e livr. » Illa praeceptorum unitas ad cuius rationem multi optimorum scriptorum linguam reuocare uolunt, eo tempore esse non poterat quo neque ars typographica neque grammatica institutio erant, quae duae res recentiore aetate ad confirmandas et stabiliendas linguas maximi adiumenti fuerunt. Cp. Maurice Croiset, *Histoire de la littérature grecque*, I, p. 32. « Si de l'étude de la flexion nous passons à celle de la syntaxe, ce qui appelle notre attention, c'est encore la liberté intelligente et ingénieuse qui s'y associe tout naturellement à l'ordre. Quand la langue grecque établit une règle, c'est-à-dire un usage certain et généralement appuyé sur une raison, il est rare qu'elle s'y asservisse. Elle a, pour ainsi dire, sa logique à elle, souple, légère, artistique, qui n'est pas du tout la logique impérieuse et inflexible de l'école. »

sermonis attici proprietatum assertoribus confecit, qui a Dionysio Halicarnassensi usque ad secundum Philostratum fuerunt (1), et, excepto uolumine quarto, edidit. Qui ut ad cognoscendam linguae graecae memoriam multum prosunt, ita haud immerito tibi uidebuntur praemature esse conscripti, quemadmodum aestimatori harum rerum imprimis intellegenti uisi sunt (2). Quae cum ita essent, putaui non inutile fore, si de eis quae cautius tractare nunc licet ita disputarem ut non tam ad perdifficilem et adhuc perobscuram quaestionem quae est de sermonis attici proprietatibus aggrederer, quam de ipso orationis atticae studio, quo imperatorum romanorum aetate Graeci accensi sunt, cognoscerem et iudicium ferrem. Itaque hoc mihi proposui ut explicarem unde illa atticae elegantiae consectatio orta esset, quae incrementa, tempore procedente, cepisset, quomodo in seruilem imitationem abisset, apud quos moderatior apud quos petulantior fuisset; idoneane ad susceptam rem feliciter perficiendam doctrina Atticistae et maxime Phrynichus exculti essent, an parum et in sermonis attici scientia uersarentur et quid deceret sentirent; postremo quid boni quid mali illo orationis eruditae studio in litteris graecis effectum esset. Quod nimis magnum quidem spatium ita circumscribam ut Phry-

(1) W. Schmid, *der Atticismus in seinen Hauptvertretern von Dionysius von Halikarnass bis auf den zweiten Philostratus*, 3 vol. Stuttgart, 1887, 1889, 1893.

(2) Cf. Gildersleeve, in *Americ. Journ. of Philol.* XIV, 1 (N° 56), 1893; et Egenolff, in *Berliner philol. Woch.*, N° 12, 1892.

nichi libellus qui inscribitur Ἐκλογὴ ῥημάτων καὶ ὀνομάτων ἀττικῶν sit illud quo referatur omnis mea disputatio.

De hoc autem sophista nemo nescit quam pauca comperta habeamus, a Photio uel a Suida nobis tradita : cognomen ei cur adscriptum sit Arabio ignoramus ; uixit in Bithynia compluribus morbi temptationibus affectus ; floruit imperante M. Antonino eiusque filio Commodo ; nullus enim sophistarum, quos quidem laudauerit, post Antoninorum tempora fuit. Praeterea Commodo Caesari libros septem et triginta operis quod inscribitur σοφιστικὴ προπαρασκευή, dicauit. Cuius tamquam summarii ad sophistarum sermonis ornati studiosorum usum comparati uidetur duplex fuisse recensio, cum id Suidas e septem et quadraginta libris constitisse referat (1). Eiusdem excerpta nobis a Photio (2) et codice Coisliniano trecentesimo quadragesimo quinto, quem Bekker edendum curauit, seruata et fragmentis completa sunt, quae siue in libello Συναγωγὴ λέξεων χρησίμων inscripto siue apud Antiatticistam exstant. Hanc σοφιστικὴν προπαρασκευὴν Phrynichus, lectis permultis ueterum scriptis, confecerat, ut sophistis materiam politi et uenusti sermonis (3) secundum litterarum seriem dispositam praeberet, explanatis difficilibus et raris uoca-

(1) Quod uero addit « uel e septuaginta quattuor », id ad ipsa Phrynichi uerba referendum est, qui, dum ad Commodum praefatur, septem et triginta libros se iam conscripsisse ait et totidem se confecturum esse, si uita suppetat. Triginta sex tantummodo libros legisse se Photius memorat, quod fortasse ita optime intellexeris, si duos in unum coisse putaueris.

(2) Cod. 158.

(3) καλοῦ καὶ ὡραίου λόγου ὕλη.

bulis et uocabulorum forma siue structura, laudatis saepe emendatae orationis auctoribus, designatis dialectorum proprietatibus uel verborum idem significantium differentiis, additis etiam annotationibus ad scribendi genus uel ad syllabarum tempora spectantibus. Quae documenta cum e sua ipsius inuestigatione tum e copia rerum a prioribus comparata, a Telepho Pergameno et a Didymo et ab Aelio Dionysio, uidetur cepisse (1). Alter est eiusdem Phrynichi liber quem iam diximus, quem Suidas ita memorat ut apud eum Ἀττικιστής ἢ περὶ ἀττικῶν ὀνομάτων βιβλία β′ inscribatur (2). Quem librum anno millesimo quingentesimo decimo septimo Zacharias Calliergus Romae primus edidit, iterum Aldus anno millesimo quingentesimo vicesimo quarto Venetiis typis mandauit, et post octo annos, Lutetiae Vascosanus.

Exeunte eodem saeculo hispanus uir, nomine Nunnesius, editionem confecit, in qua continetur uulgata quam uocant. Hic codice usus erat integerrimo et uerae antiquitus traditae memoriae, ut uidetur, proximo, nunc autem ignoto. Commemorandae sunt editiones quas decimo septimo saeculo Hoeschelius, duodeuicesimo Pauwius, ineunte undeuicesimo uir

(1) Cf. Naber, *Praef. ad Phot. lex.*, p. 84 sq., 94 sq.

(2) S. u. Φρύνιχος. Eamdem duplicem partitionem codex Laur. A refert, cum in codice Nunnesiano altera pars tamquam ἐπιτομή designetur, et post glossema αἰχμαλωτισθῆναι incipiat tertia quaedam pars, quae non fere nisi eadem iterat quae iam prius tractata sunt. Hoc partitionis genus, a Lobeckio receptum, ut sint Ἐκλογή et Ἐπιτομή, Rutherford, assentiente Cohnio, reiecit, et traditam Ἐκλογὴν in duos libros diuisam instaurauit.

doctissimus Lobeck in lucem protulerunt, postremo Rutherford ante quattuordecim annos comparauit. Superest etiamnunc ut editio critica componatur, ducta illa quidem non solum a tribus codicibus Laurentianis A, B, C, et a codice Parisino (P), sed etiam a codicibus Parisinis quibus nemo adhuc usus est (1), et a tribus codicibus nondum satis diligenter exploratis qui Romae sunt. Superest ut linguae atticae indices pleni cumulatique in promptu sint et quasi thesaurum ex omnibus scriptoribus atticis collectum habeamus utendum, ut in unoquoque uerbo ab antiquissima aetate ad postrema tempora documenta proferri possint. Decet quoque ea quae Phrynichus dixit aliorum grammaticorum testimoniis ad eandem rem spectantibus probari. Sed ut eo unde abii redeam, inscribitur Ecloga Corneliano cuidam quem Phrynichus refert magistrum epistularum ab imperatoribus M. Antonino et L. Vero lectum fuisse (2), et optimarum artium studiis inter omnes eminuisse. Qui cum iussisset uocabula non probata in unum colligi, Phrynichus eum alloquens edocet se omnia in praesenti non potuisse complecti, sed ea solum quae uulgo maxime praeualerent et antiquam dictionem perturbarent et usurpantes dedecore notarent. Eorum stultitiam arguit qui, cum a priscis uocabulis aberrauerint, testibus productis quibusdam contendant iam antea ueteres usos esse iis uocabulis quae ipsi adhibuerint.

(1) Vid. Fabricium, *Bibl. Graec.* VI, 175.

(2) V. Phryn. ed. Lob. p. 418.

Ille uero profitetur se non mendorum sed antiquae auctoritatis probatissimae rationem habere, ratum prisce dicere idem esse ac diligenter, noue idem ac neglegenter. Auctoribus autem utitur Platone, quem magnopere admiratur, Xenophonte, Aeschine Socratico, Critia Callaeschri filio, Antisthene, Demosthene, sermonis elegantia omnium praestantissimo, itemque reliquis nouem oratoribus atticis, Thucydide, ex comicis Aristophane (quotiens quidem non insolentia uerba per ludibrium recepit) una cum ceteris ueteris comoediae scriptoribus; postremo tribus tragicis Aeschylo, Sophocle et Euripide. Hos omnes dicit omni suspicione et reprehensione carere (1), oportere igitur, si quod uerbum ab eorum attica elegantia sermonis alienum sit, illud tamquam scopulum fugere. Quicumque lingua communi utuntur et macedonica uel alexandrina uel aegyptia uel bithyna uel asiatica idiomata adhibent, etiam qui ionice dorice aeolice scribunt ab eo improbantur. Genera dicendi medicocorum, philosophorum, eorum omnino qui se certis disciplinis addicunt, docet esse uitanda. Eo seueritatis procedit ut etiam poetas nouae comoediae ad excusationem adhibitae dictionis et ad fidem emendati sermonis uetet proferri. Ne ipse quidem Menander excipitur cuius Quintilianus ut *inueniendi copiam* ita *facultatem eloquendi* collaudat. Neque Aristoteli neque Hyperidi neque Xenophonti, quorum nonnulla ut

(1) Κανόνες καὶ στάθμαι eius quod est εἰλικρινὴς καὶ καθαρὸς ἀττικὸς λόγος (Phot. Cod. 158).

mendosa reprehenduntur, durissimus ille censor parcit. Talis fuit Phrynichus, dictus a Lobeckio *flos et robur Atticistarum*, de quo nunc ita disputare in animo est ut consilium huius commentationis meae exsequar.

CAPVT PRIMVM

QVAM OB CAVSAM DICENDI GENVS ATTICVM, QVALE OPTIMORVM SCRIPTORVM QVINTO ET QVARTO ANTE CHR. SAECVLO FVIT, POST ALEXANDRI MORTEM DENVO INSTAVRARI NON POTVERIT.

Cum apud populos humanitate politos qui hodie sunt usus cottidiani sermonis iis quoque probetur qui in scribendo uersantur, et quas mos omnium eadem lingua loquentium uicissitudines tempore procedente subierit, eas litterae referant, Graeci secundo post Christum natum saeculo a recta ratione ita auocati sunt, ut linguam suam tamquam uerborum rusticitate quadam et humilitate infectam et nisi indoctis non utendam spernerent. Neque fuit hoc aliquot ineptorum hominum proprium sed commune plurimorum studium. His attica dialectus, qualem Plato excoluit, ut Iouem quoque sic loqui, si graece loqueretur necesse esse ueteres dixerint, sacra quaedam lingua uisa est, qua sola uti liceret, quae iusto et recto habitu ante omnes ualeret, quae uim in se uitalem praeter alias haberet, ad quam, siue colloquebantur inter se siue scribebant, tamquam ad bonam frugem reuertendum esset : tanta auctoritate atticae litterae quae ab ineunte quinto ante Christum natum saeculo usque ad Demosthenis mortem maximo splendore enitue-

runt apud eos ualebant; quo illustriores fuerant, eo grauius earum memoria animos obtinebat; prae illorum praestantissimorum uirorum oratione sermonem aetatis suae fastidiebant; quae tempora illa tulerant uelut speciem dicendi intuebantur et tamquam exemplaria imitanda sibi proponebant. Cum ingenio minus ualerent, hoc fieri linguae inconditae qua utebantur uitio arbitrabantur, eamque nitori suo restituendam esse ut scriptores optimos elegantia adaequarent. Hanc dicendi rationem amplexi sunt, ut nec uerba nec figuras reciperent nisi quae classici qui uocantur iam probauissent. Alia igitur uulgus alia uiri docti lingua loquebantur, earumquè aetate Antoninorum summum discidium factum est. Tum enim eo res inclinatae erant ut Aristides profiteretur se nulla uocabula usurpasse, quae non e libris repetiisset. Tum insanum illud attici sermonis studium uiguit quod Lucianus in Lexiphane lepidissime derisit. Cui ineptiarum istarum in mentem non uenit, quas Lycinus tam aegre fert ut Lexiphanem Sopoli medico curandum committat? hic aegrotum hominem potionem bibere iubet qua istam insulsitatem loquendi eiciat, et grauiore onere quo premitur liberetur. Illo enim ipso morbo Graeci illius aetatis laborabant, qui communem omnium consuetudinem loquendi summo studio fugerent, longam annorum qui transierant seriem nullo loco haberent, et ea lingua quae saeculis ante sex uel quinque fuerat uti uellent. Non id agebatur ut uerba rebus, sed ut res uerbis conuenirent. Studebant praestare ceteris, et, cum multa

lectitatuissent, in iactationem eruditionis nonnulla e libris sumere quae opus non essent, uel quae ne intellegerent quidem. Hoc uero in iis maxime uituperandum esse Lucianus dicit, quod, dum Atticorum simillimi esse uolunt et linguam suam ad ueterum disciplinam informare, nonnumquam in dicendo ea peccabant quibus uel tirones offenderentur.

Huius acerrimi studii quo ii qui atticam elegantiam desiderabant aetate Luciani accensi sunt, longius repetenda esse initia haud immerito putaueris. Nonne tertio iam ante Chr. n. saeculo Posidippus poeta comicus Atticum quendam inducit thessalum hominem irridentem, quod lingua parum attica utatur, et Theocritus Syracusanas illas mulieres uehementius compellatas, quod peloponnesiaca lingua loquantur? Huic enim nullam aliam opponi intellegendum est atque atticam dialectum, quae, cum non minus longe ab asperitate dorica quam ab ionica mollitia absit, ingenium Graecorum uniuersum complectitur et quasi exprimit. Quid uero ille qui secundo ante Chr. n. saeculo fuit Panaetius? Cum Stoicorum genus dicendi soloecum et barbarum, triste et asperum aegre ferret, nonne Platonem, quem admirabatur, imitandum ceteris proposuit, ipse suscepit, et ea quae circa usum sermonis attici obseruauerat, dum codices Platonis inspicit, diligenter annotauit? (1) Iam uero sub Augusti tempora institutam antea rationem uiri docti maiore studio persecuti sunt et litteras ad

(1) Cf. Hirzel, *Unters.* II, p. 378 et 257.

attica exemplaria reuocandas acriore animo curauerunt. Tum Romae fuere qui praeeuntibus Calidio, Caluo, Bruto, Asinio Pollione, opimam Asianorum et tamquam adipatam dictionem fastidirent, et Lysiam imitari uellent. Romanis uero id tantum agebatur ut iudicium acuerent et sermonem suum ad elegantiam instituerent. Graeci contra atticos scriptores familiaritate cum sentiendi tum dicendi attingere studebant, neque solum ingenium eorum proprium, sed etiam ipsa uerba referre et poterant et uolebant. Immo, ut non cupiditate ea quae legerant ostentandi essent impulsi, tamen necesse erat eos qui mentem euoluendis priscorum scriptorum libris alerent, uerba siue singula siue coniuncta uel inuitos recordari; multo magis etiam, cum inter doctissimos et qui de his rebus iudicarent aptissimos conueniret non posse tum orationem arte perfectam existere nisi imitandis ueterum et praeter alios Atticorum scriptis. Dionysius enim Halicarnassensis et Caecilius ille Caleactinus uno consensu linguae graecae perpoliendae exemplo ab Atticis petito operam dederunt, et aequales suos ad optima praeteriti temporis monumenta, tamquam ad integros et politioris elegantiae et puri emendatique sermonis fontes reuocauerunt. Horum uterque, ut corruptam linguam ad bonam ualetudinem ac sanitatem traduceret, copiam et quasi thesauros quosdam uerborum probatorum parauit, quos adirent quibus dictio ornata curae esset; Caecilius autem cum decem oratores commentatus est, tum in significatione uerborum definienda curam posuit et consuetudi-

nem loquendi, quae tempore illo erat, cum ea quae apud ueteres uiguit, comparauit. Nonne sub idem tempus Chalcenterus ille Didymus de uerbis quae ad deformitatem prauitatemque uenerant, et de eis quorum significatio parum constabat, libros scripsit? Hic autem auctorem Philemonem habuit, qui paulo ante opus ἀττικῶν ὀνομάτων ἢ γλωσσῶν patriae pietate impulsus conficiendum curauerat, ut linguam graecam ab inquinata ac uitiosa consuetudine loquendi quae post Alexandri tempora magis ac magis inualuerat reuocaret et ad purum et incorruptum genus traduceret. Antiquiore etiam auctoritate Didymus usus est; ab Alexandrinis plurima eius repetenda esse constat; commemorandus autem est in primis Aristophanes Byzantius, cuius doctrinam a Didymo acceptam Pamphilus Vestino, hic Diogeniano tradidit. Neque omittendi sunt qui Pergami, in illa sede ac domicilio grammaticorum, quae ad dicendi genus et ad uerborum delectum spectant peculiari studio perscrutati sunt. Non possumus enim de Cratete illo Mallota non recordari, qui scholae Pergamenae praefuit, et Panaetium, quem supra memoraui, discipulum habuit, et ipse librum περὶ ἀττικῆς διαλέκτου scripsit (1)? Ars autem grammatica, cuius proprium munus antea in illustrandis ueterum operibus positum erat, inde ab Augusti tempore nouas officii partes

(1) Susemihl *Gesch. der alexandr. Litter.*, a Pergamo profectam esse illam sermonis attici instaurationem existimat, cui salutem optimorum atticae orationis monumentorum magnam partem debemus; quod negat Rohdius.

impleuit ut, facta rhetoricae ministra, in linguae inuestigatione propter ipsam linguam uersaretur, et quomodo quaeque dicenda essent doceret. Non enim attica lingua qualis olim floruerat nisi multa doctrina iam comparari poterat.

Qua de causa rhetorum si qui non satis grammaticae artis periti erant, grammaticos sibi socios adsciscebant, quorum eruditione uterentur. Velut Secundum ea quae Polemo scripserat iterum peruoluenda et, quod ad orationem spectat, inspicienda ac probanda curauisse compertum habemus. Horum Atticistarum qui uocantur alii, ut Aelius Dionysius, Pausanias, Irenaeus, sermoni attico seligendo ac probando operam dederunt, alii emendandae aequalium scriptorum dictioni studuerunt. Quo in numero cum Moeris tum Phrynichus ille fuit qui magistri personam sibi sumpsit ut normam loquendi diligenter constitutam elegantiores homines doceret. Copiam attici sermonis emendati iis suppeditare se professus est qui foeditatem uerborum deponere et sententias ornato habitu uestire cuperent (1). Ea tantum uoluit recipi quae auctoritate optimorum scriptorum probarentur, cetera autem reici, tamquam in iis erubescendum esset. Barbarismum esse existimat si quod uocabulum non certa fide apud ueteres primae classis Atticos usitatum adhibeatur; soloecismum sicubi ratio sit componendorum uerborum non attica. In hunc errorem molestissimus iste homo inductus est ut

(1) Dio Cass. 55, 12, Βιβλία ἃ ἐπὶ τῷ ἀττικίζειν ἀναγιγνώσκομεν.

linguam communem quae dicitur, graece κοινή, tamquam uitium uitandam, atticum autem sermonem tamquam uirtutem expetendum et acquirendum esse praeciperet.

Quod quoniam non intellexit fieri non posse, necesse fuit eum praeiudicata opinione duci et mirum quantum occaecari. Vt enim fluuiorum ita linguarum quasi cursus quidam est quem inhibere uel in contrariam partem reuocare nemini concessum est. Immo fiunt necessario immutationes siue in appellatione litterarum siue in uerborum flexura uel structura, siue quod ad ea copulanda uel deriuanda spectat. Alia obsolescunt, alia noua usu recipiuntur, alia dignitatis gradum altiorem ascendunt, alia imminuuntur, alia genus alia significationem mutant. Quid uero ? Ipsa attica illa lingua qua sola uti oportere putabant, num immutabilis et sibi par semper atque aequalis permanserat ? Nonne ea quoque quinto et quarto ante Chr. n. saeculo aetatis progressu commutata est, ut tres fuisse gradus et dissimilitudines attici sermonis ueterum fide contestata memoria doceat ? Nonne Moeris ipse, dum linguam aetatis suae ad puram orationem et certa fide atticam reducendam curat, uetustiorem et medium quendam et recentiorem atticismum distinxit ? Etenim ex eloquendi uarietate quae in singulis litterarum generibus et singulis illorum ducentorum annorum aetatibus conspicitur, apparet atticam linguam tempore procedente insignibus incrementis adoleuisse et aliam apud alios scriptores aliaque eiusdem scriptoris aetate fuisse. Cum linguas

uno tenore progredi constet, oportuit transitu ab ionica loquendi consuetudine propria ad eum facto qui ex ea mutatus et atticus sermo dictus est (1), quasdam esse aetates et gradus perficiendae nouae dialecti. Multa enim uerba quae sexto ante Chr. n. saeculo apud omnes in Attica usu recepta erant, exoleuerunt prout ionica lingua ipsa, in qua, donec constitit, uigere non desierunt, eo immutationis et renouationis progrediebatur, ut in figuram atticae dictionis abiret. Quemadmodum composita uerba in simplicium, ita simplicia in compositorum locum successere. Hanc enim tamquam in primis linguae incunabulis dicendi rationem uoluntatemque esse liquet, ut homines ad ea quae sentiunt enodatius explicanda uerbis cottidianis cum praepositione copulatis utantur, corroboratam autem linguam ad dissimiles rationes traduci, ut ad rem uulgarem uulgaris uox maxime idonea esse uideatur. Iam ornamenta dicendi, quibus abstinere posse se arbitrati sunt, Attici ita exuerunt ut orationem uiuidis coloribus pictam et excelsiorem oratio submissa et simplex exceperit. Praeterea cum uocabulorum idem significantium paria essent, alterum tantum quaestus compendiique causa in consuetudine loquendi retinuerunt. Hoc igitur modo atticus sermo ab ionico fluxit et ad proprium ac peculiarem habitum paulatim excultus est. Cuius progressus

(1) Cum in tetralogiis quae Antiphontis esse feruntur quaedam ionica uerba reperiantur ut αὐθέντης, uir doctissimus van Herwerden eas a recentiore sophista eoque in Ionia nato scriptas esse suspicatus est, de quo vide *Mnemos.* IX, 203.

poesis tragica testis est. Quantum enim tragicorum lingua cum Herodoto congruat neminem doctum fugit ; neque is multa tragicae dictionis propria, qualis tempore Thespis et Phrynichi constituta est, in fabulis deinceps seruata esse mirabitur, cui notum sit quanta ui litterarum memoria apud Graecos uiguerit et quam tenaciter genus dicendi iam consecratum posteris traditum sit. Cum uero ab Homeri carminibus omnis graecae Musae spiritus et instituendorum puerorum disciplina duceretur, non poterat Homeri sermo ad priscos poetas atticos non plurimum ualere. Sed sicut Aeschyli aetate spectatores aegre tulissent deos et heroas sermone cottidiano loqui, immo non minus in poetae grandibus uerbis quam in actoris cothurno ac persona delectabantur, ita post eum tragica oratio magis ac magis ad uniuersam populi consuetudinem accessit, ut Euripides eo maxime sermone usus sit quem politiores homines ad colloquendum adhibebant. Eadem fuit prosae orationis ratio. Hanc enim primum lyrica et tragica poesis informauit et numerorum et sonorum suauitatem docuit, et aures hominum delicatiores ac sollertiores fecit. Mox sophistae ei perficiendae inseruierunt, in primisque Gorgias operam dedit ut exemplo a poetis petito delectus uerborum ornatior compararetur et nascens oratio amplificaretur et cum poesi aequaretur. Quid igitur mirum in Antiphonte et Thucydide, si in grandia et poetica uerba haud raro inciderunt, si Thucydidis sermo ab insequentibus scriptoribus atticis ita differt, ut cum Homero et Herodoto et poetis tragicis saepius con-

sentiat et multas uoces, quas aliae iam apud Atticos exceperant, Ionum more, oratione nondum adulta, habeat? Postea uero a Gorgiae disciplina ad Thrasymachi rationem, id est a graui et poetica et uetustiore elocutione ad rectam et simplicem et cum recentiore aetate magis congruentem dictionem studia immutata et traducta sunt : ut fuerunt post Aeschylum Sophocles et Euripides, ita post Antiphontem et Thucydidem Lysias, Isocrates, Demosthenes exstiterunt. Quis uim uigoremque et celeritatem non miretur qua sermo ille uetustate obsoletus et durus tamquam incudi redditus ab Atticis et instauratus est ut tener et flexibilis et uitae communi proximus euaderet? Manifestum est igitur atticae linguae gradus plures progressionis et absolutionis fuisse, quemadmodum omnis lingua non potest non ad certas leges plus minusue immutari.

Nec minus constat atticos omnino scriptores uel singulari ingenio ac natura adiutos sermonem ex temporibus natum et ciuitatis in qua uixerunt quasi alumnum quendam adhibuisse, nec fines et modum, qui omnium consuetudine loquendi singulis aetatibus constituti erant, reipsa transiisse. Quod utinam Atticistae diligentissime secum meditati essent. Certum est enim et exploratum non posse uim dicendi esse nisi ductam ab ea lingua qua homines etiamnum utuntur. Hac scriptorum oratio contineri, hinc nutrimenta sua sumere debet. Sic enim demum neruis ac uiribus ualet et sanguine roboratur et exsurgit toris et integritate ac salubritate floret. Sic, cum non paucis

hominibus litteratis sed multitudini scribatur, perspicuitas ea potest esse qua scripta communi intellegentiae obuia sint. Propterea attici scriptores, qui quidem quarto ante Chr. n. saeculo fuerunt, uocabulis de medio sumptis et in uulgus notis ad dicenda ea quae cogitabant usi sunt et rerum grauitatem elocutione consuetudini omnium uel proxima assequi iis contigit. Si quis autem a communi consuetudine recedebat, non id ipsum sibi proponebat, ut ab ea recederet, sed ea quae sentiebat sic summa conuenientia dici existimabat. Vt enim oratio, quae ad litteras utilis est, artissimo uinculo cum loquendi consuetudine omnium coniuncta ac consociata plurimum ualet, ita non par est nec consentaneum ab illa hanc, quali uulgus utitur, talem referri. Cum duo sint cogitandi genera, alterum quod ad uitae necessaria, alterum quod ad excelsiores animi sensus et politiorem humanitatem spectat, duo eloquendi genera oportet esse quorum submissius ad ea quae sunt altiora, altius uero ad ea quae sunt submissiora, quamdiu omnium mores integri uigent, constanti consensu pertineat (1) : quo fit ut scriptorum genus dicendi uirium laetissimarum incrementa capiat, uulgi autem consuetudo loquendi a deprauatione, quantum fieri potest, defendatur. Quod quam uerum sit cum uniuersae, tum graecae litterae documento sunt. Etenim hae ab hominum rebus numquam desciuerunt, ut earum summa sit iucunditas; germanam uero

(1) Cf. Steinthal, *Geschichte der Sprachwissenschaft*, p. 387, sq.

omnium consuetudinem loquendi non ipsam tamen receperunt, sed quendam ex ea ingenio et artifice stilo expressum sermonem sibi sumpserunt, ut nihil praeclarius esse possit. Constat enim inter huius aetatis uiros doctos artificiosum esse Homeri genus dicendi et quo temporis illius Iones nulli ad colloquendum usi sint; neque magis ulla dialectus ionica fuit, quae quidem in omnium usu uersaretur, generi ionice dicendi Herodoteo par ac similis. Vt uero poetis ea dicenda erant quae uulgarem sentiendi ac loquendi modum altius superarent, ita eorum sermo a communi lingua longius recedebat. In melicis enim carminibus, cum mentis uis incitatior et inflammatio animorum ardentior esset, non sine quodam afflatu furoris necesse erat sermonem assurgere et ad sublimiora insolentioraque se erigere. Vbi uero quis ea canenda sibi proposuerat quae minus longe a simplicibus populi moribus absunt uel ad communem uitam uictumque spectant, tum uocem submittebat et ad consuetudinem omnium propius accedebat: qualis est apud elegorum et iamborum scriptores et poetas in primis comicos orationis habitus. Vt uero certi termini sunt quibus sermo ad scribendum utilis a uulgari loquendi more dirimitur, ita sunt quoque quibus scriptorum oratio a poetarum more discedere iubetur: sunt etiam quaedam uariorum prosae orationis generum discrepantiae: sunt denique eiusdem nascentis et adolescentis et excultae ac perfectae dissimilitudines. Ornamenta dicendi ad genus orationis amplificandum Thucydides ualere putauit, quia illis

temporibus erant tantum rudimenta et incunabula solutae orationis, et ille rerum graecarum explicator prudentissimus opus ex arte perficere uolebat. Iam uero adulta oratione, cum etiam oratores grandius uel obscurius dicta minus decerent, uiguit illud dicendi genus quod ad intellectum et ad consilium, non illud quod ad cogitationem et ad uim speciem aliquam animo fingendi pertinet. Orationem calamistris inustam adeo non iam probabant, ut uitiosam eam putarent : si qua igitur forma menti obiecta erat, non recipiebant nisi ad seuerissimas iudicii leges exactam. Nonne praestantissimi oratores attici id potius studuerunt ut orationi ornamenta eximerentur quam ut accederent ? Illo ipso uerborum propriorum usu factum est ut attica oratio mirum quantum perluceret et penitus perspiceretur : hanc quemadmodum unus e uulgo facilem ad imitandum crederet, ita expertus nihil difficilius esse non poterat non sentire : summa enim ars, ut ars non appareat. Nonne idcirco classici dicti sunt attici illi scriptores quod simplicissima iis sufficiebant ut animos uehementissime mouerent, quod ea, quae alii copiosius et singillatim enarrassent, paucis uerbis nec minore perspicuitate complectebantur ; quod denique oratio eorum quasi colore quodam et suco suo ornata ante omnes alias praestat ? Cum enim attica dialectus fingendi multiplicem copiam afferret, nullum uero dicendi genus quasi pactum et conuentum potissimum commendaret, hac secunda fortuna singuli utebantur, ut non dicere possent nisi sermone proprie picto ac formato. Hac

ipsa necessitate ad orationis imitationem perfectioris inducti sunt, quae non abiectum et sordidum loquendi morem referret, sed ad peculiares rationes et ad ipsum cuiusque ingenium redigeretur, sui iuris esset non ex libidine tractata, ab ipsa natura profecta non fucata, floribus ornata non onerata, polita et ex arte perfecta, non putida nec molesta, nec quae ea quibus animi uehementius mouerentur moliretur ac meditaretur.

Attice autem dicere cum sit ita dicere ut oratio emendata adhibeatur et proprio habitu ornata et talis qualis esse possit perfectissima, quanta fuit Phrynichi sociorumque eius caecitas mentis, qui attice dicere uoluerint! Illa enim praestantia sermonis nonne erat in fortunatissima quadam temporum opportunitate, quae ad excolendam linguam atticam maximum momentum attulit, in principatu totius Graeciae quem Athenienses obtinebant, in libertate reipublicae imperioque populari quo utebantur, in acerrima rerum ciuilium tractatione, in litigandi ac disceptandi confabulandique studiis ardentioribus et celeberrimo cum mercatorum tum aduenarum in Piraeeo conuentu? Accenso enim omnium ingenio, singuli incitabantur et, cum homines summa beneuolentia praecipuos scriptores suos prosequerentur ac maiora melioraque postularent, ad maximam uirium contentionem stimulabantur. Et rei igitur publicae amplitudine et populi multidinisque auctoritate atque iudicio et egregiis ingenii uirtutibus quibus instructi erant, rebus denique omnibus sic comparatum erat ut, quod omnino

est maxime necessarium, uim effectricem quandam et artificem animo insitam haberent qua uerborum copiam arte componerent et proprie fingerent. Sic conflatus et perfectus est sermo ille cum ubertate tum subtilitate insignis et qui sensus exquisitissimos definite distincteque describere posset ; ut ad grauissima ita ad facetissima, ut ad splendida et dignitatis plena ita ad simplicia et submissa, ut ad artificiosam sententiarum ad numerum conclusionem ita ad breuem et concisam orationem, ut ad consuetudinem omnium ita ad illud nescio quid praeclarum ac singulare quod et artifices et scriptores ingenio exprimere studebant aptissimus : mirandum profecto dicendi instrumentum, sed quo perite uti nisi atticis scriptoribus optimis nemini concessum esset. Nam hi soli, cum sermonem patrium adhiberent, eum ad arbitrium suum regere ac moderari poterant : soli, cum eloquendi modus esset multiplex, ad ea quae sentirent summa perspicuitate cum summa aurium delectatione dicenda idonei erant, ab his solis expectandum erat illud ipsum quod est optimum, absoluta uerborum cum rebus conuenientia. Nonne enim ab exemplari atticae dictionis perfectissimo eos longius afuisse cognitum perspectumque habemus qui ut Thucydides et Xenophon procul ab urbe maximam partem uixerunt, aut ut Theopompus et Aristoteles et Theophratus ne attici quidem genere fuerunt ? iam procedente tempore facultas illa dicendi decrescere coepit : apud Menandrum enim qui, cum supremum ad Chaeroneam prœlium commissum est, puer erat et primam fabu-

Iam anno post mortem Alexandri in lucem protulit, nonnulla a ueteribus reprehensa sunt ut a pura consuetudine aliena. Amissa libertate mortuo Demosthene, interiit, ut ita dicam, attica illa lingua, immo incorrupta attice dicendi consuetudo. Hoc pretio pensata est illa praestantia qua propter Athenarum cum in rebus ciuilibus tum in litteris principatum attica dialectus ab uniuersis scriptoribus ad studia potissimum adhibita et in titulis populorum qui genere et lingua Atticorum dissimiles erant usurpata est. Quamobrem cum in copiam uerborum multa non attica obrepserunt, tum uirtus illa euanuit in qua ratio attici sermonis propria posita erat. Id enim quod Graeci in unam gentem ab Alexandro confusi tum uolebant, non iam erat illud nescio quid praeclarum ac singulare, cum nec deos nec patriam curarent et morum corruptela laborarent. Non ii ciues iam erant quorum communitate neque eae res quarum ipsa contemplatione animi commouerentur et elegantia excitaretur : non omnes in familiaritate litterarum et optimarum artium uersabantur, non omnibus politioris humanitatis societas erat ; sed altera pars hominum incultorum erat, altera doctorum uirorum. Tum enim primum in rerum graecarum memoria exoritur et obuiam procedit paucioribus politis hominibus opposita multitudo turbaque incondita hominum illitteratorum et consuetudini temere seruientium neque nisi in usu uitae prudentium. Accedit quod lingua communis quae dicitur regiones Orientis bello partas peruasit, per Asiam Minorem per Ægyptum per

Syriam a militibus a mercatoribus ab opificibus, id est ab eiusmodi hominibus importata, qui horrido uictu utebantur et non exquisita sentiebant.

Quorum quasi nota ingenii in graeca lingua impressa est, ut deformior et simplicior ipsa quoque fieret et tenorem in ratione grammatica aequaliorem seruaret, similitudine quadam in singulis flexurae generibus priscam uarietatem excipiente. Sic conflata est communis omnium graece loquentium consuetudo quae ut attica illa lingua continetur ita ab ea longissime abest, cum uocabula oppidani dicendi generis et ceterarum dialectorum atque Afrorum uel Asiaticorum propria receperit uerbaque nulla grammaticae artis norma conformauerit, omnia denique commiscuerit ac perturbauerit. Quarum commutationum, quoniam iidem sunt homines qui et scribunt et loquuntur, sermo ad studia utilis non poterat expers esse : quamquam ab illis maxime litterarum memoria defendebatur, cuius uis ualidissime obsistebat ne lingua celerius dissolueretur. Sed hic quoque sermo cum ab attica dialecto omnino ductus esset, tamen ab ea multis in rebus hoc uero in primis differebat, quod ei attici sermonis argutiae et urbanitas defuerunt et graeca lingua communis probata est. Haec oratio, eo tempore usitata cum elegantia nulla erat, quam longe ab attica subtilitate absit et suspicari facile est, et primum ex Polybio deinceps ex Diodoro Flauio Josepho Plutarcho colligitur. Ita uero differt, ut Phrynichus ualde errauerit qui maximopere ad restituendum orationis nitorem referre existimauerit

ut ea uerba reicerentur quae apud optimos scriptores atticos non reperirentur, neque intellexerit uel his reiectis aliisque eorum locum supplentibus quae uel acerbissimus attici sermonis affectator probaret, tamen dicendi genus non idcirco fieri Thucydidium uel Demosthenicum. Verba quidem quae certa fide attica essent a ueteribus repetere non maior res erat quam quae effici posset : erat, dicendi consuetudine uti Atticorum propria. Ut enim marmoris Pentelici copia utenda tum quoque suppetebat Praxiteles autem alter desirerabatur, ita atticae linguae materia eximia ac pretiosissima elici e monumentis et excerpi poterat, sed illud nescio quid deficiebat quod hanc congeriem atticorum uerborum apte conecteret, artissime componeret et proprio habitu ornaret. Quid quod ne Lucianus quidem, quamuis egregius dicendi artifex, in oratione more attico perficienda ita praestitit ut nihil supra cogitari possit? quam praestantiam eo minus consequi poterat quod ut multi eiusdem aetatis sophistae non in graeco sermone natus erat. Quid mirum in praecipuis artis sophisticae antistitibus Lolliano Fauorino Herode Attico Polemone si Phrynichus quaedam mendosissime ab his dicta reprehendit ? hunc uero grammaticum nonne Photius memorat copiam quidem politi sermonis aliis comparare, ipsum autem parum ornate dicere (1), quod idem

(1) Phot. *Bibl. Gr.*, καλοῦ καὶ ὡραίου λόγου ὕλην ἄλλοις συναθροίζων, αὐτὸς οὐ λίαν τοιούτῳ περὶ αὐτῶν ἀπαγγέλλων ἐχρήσατο ὁ Φρύνιχος. Confer locum, solito fusiorem, ubi Phrynichus de verbo σύσσημον disputat, et quae ibidem dicit Rutherford p. 493 : « This, the

in Pollucem cadit qui doctusne an indoctus dicendus esset Philostratus dubitauit, cum librum Onomasticon qui inscribitur nonnisi multa doctrina conficere potuerit, in iis uero oratoriae artis libris, quibus ingenium suum expertus est, non melius aliis attice dixerit, eodem modo sibi aduersatus ac recentiore aetate noster ille Balzac qui dum eloquentiam definitione sua explicat, tum ipsum plurima translate dicit, cum uetat ne quis translatione utatur : sic quasi iniuriam sibi illatam ulta est uis ueritatis et spreta ab his Atticistis lingua communis quae uocatur eaque qua uulgus utebatur.

longest continuous piece of writing from the pen of Phrynichus, proves that in his time the writing of Greek was a lost art. Granted that Menander used words and constructions unknown to Attic, yet his Greek was his own, easy, graceful, and elegant, not like that of his critic, a cumbrous and clumsy imitation of good models. In short, the one is Greek and the other is not. — Cf. Cobet, *De Auctoritate et usu Grammaticorum ueterum*, p. 4. « Phrynichus operose et sine ulla uenére locutiones atticas et plebeias ut in musico opere contexuit. Nihil mihi umquam credi facile patiar, si quid ex illo loco ieiunius et magis ineptum : quid prodest ἀττικώτατα consarcinare : τί πάσχουσι, θαυμάσας ἔχω μέγαν ἄγειν, τὰ ἄκρα τῶν Ἑλλήνων et ἐρήμως ὀφλόντα σου τὰ παιδικά, si locus in quo ista in aceruum exstruuntur ne micam quidem habet salis ? »

CAPVT SECVNDVM

QVIBVS REBVS INDE A POLYBII TEMPORE LINGVA GRAECA AB ATTICI SERMONIS SVBTILITATE ABHORREAT.

Vt rem exemplis illustrem, dum praecipua breuiter perstringo, placet quaedam proferre quibus manifestum sit non iam esse illud acumen ingenii, subtilissimam illam in uerborum forma uel significatione definienda diligentiam, quae Atheniensium propria fuit. Ii enim, accurati sermonis studio, quo eminuerunt, uocabula εὐθύ et εὐθύς ita discreuerant ut alterum locum significaret et εὐθὺ Ἀθηνῶν idem esset ac *recta Athenas*, alterum autem tempus, quemadmodum latine *statim*. Postea uero multos εὐθύ pro εὐθύς posuisse testis est Phrynichus. Neque ullum commodum ex eo capere poterant quod Photius hunc uersum Euripidis laudat (1):

τὴν εὐθὺς Ἄργους κἀπιδαυρίας ὁδόν (2),

cum, sicut de tragicorum oratione supra diximus, uerisimile sit eum priscam dicendi consuetudinem consulto imitatum esse, apud Homerum uero et in

(1) P. 32, 12.

(2) *Hipp.* 1197. Blaydes suadet lectionem εὐθύ τ' Ἄργους. Cf. εὐθὺς πρός c. acc. in Xen. Cyr. 2, 4, 24; εὐθὺς ἐπί c. acc. in Thuc. 4, 118 (sunt uerba foederis).

ceteris dialectis praeter atticam hoc uerborum discrimen non fuisse constet. Eodem modo confusa sunt uerba ἀντικρύ et ἀντρικύς, cum Attici ad significandam loci notionem quae est *ex aduerso, e regione* καταντικρύ dixerint, ἀντικρύς (1) autem apud eos idem ualuerit ac *recta*. Ἀναπεσεῖν, quod per translationem ueteres Attici eodem sensu atque ἀθυμεῖν de eo dicebant qui animo cadit, usurpatum est pro eo quod est ἀνακλιθῆναι, id est *recubare*. Atque ἄρτι, quod ad praeteritum uel praesens tempus referri solebat, cum futuro uitiose coniunctum de genere uniuerso pro νῦν dictum est (2) perinde ac πηνίκα, quod non ut antea *quota hora* sed *quando* significauit, quae erat uerbi πότε uis propria ; et τέμαχος, prius in pisce solum dicebatur, graeca autem lingua communi etiam in pane aut carne aut placenta pro τομός dictum est ; item ἀγωγός olim erat qui praeibat et uiam monstrabat, Phrynichi uero aetate ii qui in foro uersabantur eo nomine aquarum fistulas nuncupabant (3) : iidem αὐθέντης pro δεσπότης uulgo dixerunt cum apud Atticos non esset nisi a poetis ea ui usurpatum (4), in prosa uero oratione eum significasset qui sua manu caedem conficit aut caedem manu propria confectam : simili ratione uerba αὐτουργεῖν et χειρουργεῖν

(1) Adhibetur iam ab Aristotele sensu *ex aduerso : Eud.* 7, 10, 20.

(2) Cf. Lucian., *Pseudosoph.* 1, Ἄρτι σολοικιῶ, quod Lycinus dedita opera pro ἤδη dicit ; cp. Phrynichus Rutherford, p. 70. Tamen notandum est similem dictionem *tout-à-l'heure* et de futuro et de praeterito tempore gallice usurpari (v. Littré). Ἄρτι de futuro dictum reperitur etiam apud App., *Mithr.* 69.

(3) Cf. Herod. 7. 12, ἀγ. ὕδατος.

(4) Eur. *Suppl.* 442.

ita adhibita sunt ut latius quam Atticorum tempore paterent et ab agricolis uel operariis ad eos uniuerse traducerentur qui ipsi, nec ullius ope, aliquid agunt, quemadmodum ex his exemplis conspici potest : αὐτουργῶν μὲν τὴν ἐπιβουλὴν (Pilostr. V. S. 1, 21, 517), hoc est, ipse rem propositam perficiens ; τὴν μαντηίην αὐτουργέει (Luc. Dea Syr. 36), ipse absoluit oraculi responsum : nemo est quin uideat quam insulsa haec sint prae illa singulari uenustate qua Xenophon αὐτουργὸν τῆς φιλοσοφίας eum dixerat qui sua ipsius opera, nullo adiuuante, philosophia se imbuerat (Symp. 1, 5). Cum βιάζεσθαι apud Atticos idem ualeret ac *ui stuprare*, φθείρειν autem idem ac *mores deprauare*, inferioris aetatis Graeci φθείρειν pro βιάζεσθαι promiscue dixerunt. Neque seruata est differentia quae in attico sermone erat adiectiuorum in -ινος aut -ιος desinentium, ut χειμερινά ea essent quae bruma fieri solent et χειμεριναὶ ἡλίου τροπαί dicerentur, χειμέρια autem ea quae brumalia referunt (1), quemadmodum apud Thucydidem legimus τηρήσαντες νύκτα χειμέριον ὕδατι καὶ ἀνέμῳ, καὶ ἅμ᾽ ἀσέληνον (3, 22); uel apud Aristophanem facetum illud χειμέρια τὰ πράγματα (Ach. 1141). Eodem modo θερινός ἡμερινός νυκτερινός differebant cum illis θέρειος ἡμέριος νυκτερήσιος diligentiae illius beneficio quae post atticam aetatem nulla fuit aut certe plurimum imminuta est. Non enim Phrynichus ipse recto in his rebus ingenii acumine utitur cum eos

(1) Tamen apud poetas, imprimis epicos, idem ualet ac χειμερινός cf. *Od.* 5, 485. Hes. *Op.* 496.

reprehendat qui κακοδαιμονεῖν pro eo quod est *infortunatum esse* usurpabant, et miretur Atticos qui εὐδαιμονεῖν dicerent non continuo dixisse κακοδαιμονεῖν sed κακοδαιμονᾶν, et qui εὐδαιμονοῦσι dicerent non item dixisse κακοδαιμονοῦσι sed κακοδαιμονῶσι. Fugiebat igitur eum κακοδαιμονεῖν non minus quam κακοδαιμονᾶν extitisse (1), alterum autem uerbum de iis usurpatum esse qui in potestate mali genii essent.

Praecepta quae grammatici Moeris Phrynichus Ammonius Herodianus aliique de ποῖ et ποῦ, ὅποι et ὅπου, ἐκεῖ et ἐκεῖσε, ἔνδον et ἔσω, ἐνταῦθα ἐνταυθοῖ et ἐνθάδε, ἐν et εἰς tradunt, documento sunt ea uerba non iam recte discerni solita esse, etsi admodum conspicua erat dissimilitudo significationis, neque solum Polybius sed etiam attici sermonis studiosus Dio Chrysostomus, si modo codicibus fides adhibenda est, in his uocabulis peccauerunt. Non igitur mirandum est si apud posteriores scriptores elegantia illa desideratur qua Attici in delectu uerborum praestiterunt; si uerbi τύπτω formas τύψω ἔτυψα ἐτύπτησα τετύπτηκα τετύπτημαι ἐτύφθην ἐτύπην quidam promiscue usurpauerunt, cum apud Atticos eadem ratione atque ad φέρω tempora οἴσω ἤνεγκα ἐνήνοχα reuocabantur, hae formae solae usitatae fuerint: ad notionem uerberandi significandam, τύπτω τυπτήσω, πληγὰς ἐνέβαλον, ἔπαισα, πληγὰς δέδωκα, πέπληγα; sensu autem feriendi, uulnus alicui inferendi, τύπτω πατάξω; παίσω ἐπάταξα, et, ubi assurgebat oratio, ἔπαισα; πέπληγα; si eadem pas-

(1) Xen. *Mem.* 2, 1, 5. Ar. *Plut.* 372. Din. 101, 41, etc.

siue dicenda erant, his eadem ui ac latine *uapulo* utebantur : τύπτομαι, τυπτήσομαι, πληγὰς ἔλαβον, πληγὰς εἴληφα; pro eo autem quod est *ferior*, his : τύπτομαι πληγήσομαι ἐπλήγην πέπληγμαι, πληγὴν εἴληφα, πληγὴν ἔχω (1).

Iam uero fines transiit quibus apud Atticos a poetarum sermone summa arte diuidebatur oratio posteriorum aetate scriptorum, sanitate non seruata. Vt apud priores atticos scriptores, quorum aetate soluta oratio nondum adulta erat, poetica uerba reperiuntur, sic, graeca lingua ad labem uergente, multa in prosam cum poetis communia recepta sunt. Neque in his eadem excusationis genera afferri possunt quae in atticis scriptoribus ualent qui nonnumquam uocabulis eiusmodi usi sunt. Nam de Xenophonte nescio an sentiendum sit uerba eius poetica quae feruntur multa quidem nihil aliud esse nisi ea quae ab attica dialecto aliena ille in peregrinationibus suis hinc illinc assumpserit. Platonem uero poetarum more saepius dixisse quis miretur, cum elatioribus locis, ubi mentis ui incitatiore impellebatur, ipsis rebus a prosa oratione deficere cogeretur ? Ne studio quidem ornandae orationis moti scriptores aetate posteriores poeticis uerbis usi sunt, sed quia illis accurata in uerborum delectu diligentia deerat, neque longe petita displicebant si modo rem explanarent. Diodorus enim Homeri ἀμέτρητος (2) pro Atticorum ἄμετρος temere usurpauit, cum Aristophanes tantum ubi oratio assur-

(1) V. Rutherford, *Phryn.* p. 259 sq.

(2) Od. 19, 512 ; cf. Eur. *Hec.* 783.

gebat dixisset : ὦ δέσποτ᾽ ἄναξ ἀμέτρητ᾽ ἀήρ (Nub. 264) ; et ἀνίκητος pro ἀήττητος, non artem Platonis imitatus qui semel hac dicendi licentia usus est ut orationem distingueret : ἢ οὐκ ἐννενόηκας ὡς ἄμαχόν τέ ἐστι καὶ ἀνίκητον θυμός, οὗ παρόντος ψυχὴ πᾶσα πρὸς πάντα ἄφοβός τε καὶ ἀήττητος; (Rep. 375 B) Plurima igitur uocabula quae apud Homerum aliosque poetas uel apud Herodotum repe- riuntur, postquam in attica dialecto defecerant et in eorum locum alia supposita erant, iterum e Polybii tempore emerserunt et in lucem prodierunt, non ut aliqua utilitas inde perciperetur, sed quia incuria et inscitia erat eligendorum uerborum.

Neque magis discrimen quod erat sermonis ad litteras idonei et linguae uulgaris obseruatum est. Nomina enim diminutiua cum ab optimis scriptoribus blanditiarum causa usurpata essent uel ut oratio quodam familiaritatis colore distingueretur, scriptores tempore inferiores σεληνίον uel σεληνίσκος ὠτίον ὀμμάτιον χειλύνιον adhibuerunt cum σελήνη οὖς ὄμμα χεῖλος dicenda essent, easque formas, labente recta consuetudine, in libros receperunt quae eius sermonis propriae erant quo multitudo in primisque mulieres et puellae utebantur. Popularia uerba alia adsciuerunt cum iudicio minus firmo plebem sequerentur, quae uocabula a ueteribus proprie ac distincte usurpata ita extenuare solet ut omnem sucum amittant. Et plebem redolet illud dicendi genus quo deteriores scriptores pro simplici uerbo aliquam formulam adsciuerunt et longiorem orationem consectati sunt, quasi ea quae plus ponderis haberent etiam significantiora essent.

Cum enim uerbum finitum poni satis esset, elocutionem inaniter ita dilatauerunt ut συμβαίνει uel συνέβη sequente infinitiuo dicerent : simili loquendi circuitu participium cum copula εἶναι in locum simplicis et idem ualentis uerbi saepius successit. Cum uero Demosthenes, ut eorum qui audiunt animos attentiores habeat, nonnumquam abundante supra necessitatem oratione utatur, mera posterius redundantia et inani loquendi profluentia factum est ut ultra quam oportebat uerba congererentur; et aliud quidem est, ut opinor, illud a Xenophonte ui singulari in Hellenicis (1) dictum τὰ πάντων ἐσχατώτατα παθεῖν, aliud uitium quod Lucianus irridet, Phrynichus in Fauorino reprehendit et nos saepius in litteris graecis deterioris notae conspicimus, quo more plebis, cuius proprium est in re morari, superlatiua nomina superlatiuis male cumulantur, ut dicatur ἐσχατώτατος pro ἔσχατος, τελευταιότατος pro τελευταῖος, κορυφαιότατος pro κορυφαῖος, uel superlatiuo uerba discrepantia addantur tamquam πάνυ, δεινῶς, λίαν, ὡς οἷόν τε μάλιστα.

Eo quoque posteriores scriptores fusius elocuti sunt, quod casus, quorum intellegentia ualde obscurata erat, nudos usurpare non satis habuerunt sed ad praepositiones confugerunt ut Aelianus ἐρημία ἀπὸ cum genetiuo redundanter dixerit : qua de re notandum est scholiastas multa ueterum uel aequalium interpretari quasi per praepositionis detractionem cum casu ipso constructa fuerint. Relationis uero

(1) 2, 3, 49.

accusatiuus qui uocatur, etsi facultatem dicendi tanti pretii praebebat ut Latini eum a Graecis mutuati sint, iam a Polybio tamquam ipse parum idoneus praepositionem κατά comitem accepit. Praeterea nonnulli peccauerunt cum pluraliter ponerent ea quae singularem numerum postulabant, et, ut ex Phrynicho accipimus, χρηστὸς τὰ ἤθη pro χρηστὸς τὸ ἦθος dicerent, neque intellegerent pluralem numerum ita modo probandum esse, si non de uno sed de pluribus ageretur, recte igitur χρηστοὶ τὰ ἤθη dicendum esse (1).

Nulla uero re linguae graecae labes ac pernicies magis fortasse declaratur quam quod copulatis uerbis usa est cum simplicia sufficerent. Eadem fuit collabentis sermonis latini ratio, ut scriptores plurimis uerbis coniunctis, linguam uulgarem imitati, orationem obruerent. Hac temporum diuersitate et Graecorum posteriorum imperitia uel incuria manifestius fit quanta fuerit Atticorum in hac re subtilitas ingenii. Hi enim duas aut tres praepositiones cum uerbo ita coniungebant ut cogitationem animo informatam clarius elocutione exprimerent. Cum in singulis sententiae partibus subtiliter dispiciendis praestarent, eas uno uerbo ita componebant ut suam quaeque uim propriam in commune conferret nec ipsa tamen amitteret. Nam Thucydides, quo non alter in hac facultate tractanda sollertior fuit, copulato uerbo προεξάγειν (2) tria dicit, 1° ducere, 2° e castris, 3° pri-

(1) Phryn. Rutherf. p. 468.
(2) 7, 6.

mum esse ; etiam quattuor uno ἀντεπεξιέναι (1) effecit ut dicerentur : 1° ire, 2° e castris, 3° ad oppugnandum, 4° hosti obuiam (2). Adeo tum uigebat illa ingenii uirtus qua ea quae commentati erant uerbo uno coniungebant nec permiscebant. Id uero mentis acumen ita obtusum est ut iam Polybius copia copulatorum uerborum pro simplicibus positorum orationem tantummodo oneret et premat. Et defuisse posterioribus acre in usurpandis uerbis iunctis iudicium ex eo quoque sequitur quod praepositiones commiscuerunt et ἐπιτολή et ἐπιτέλλω, cum apud Atticos de stellis quae cursum solis et lunae non pariter sequuntur proprie dicta essent, de sole pro ἀνατολὴ et ἀνατέλλω uitiose dixerunt (3). Neque notionem societatis iam in ipsis uerbis πολίτης πατριώτης φυλέτης δημότης ἀκόλουθος ἑταῖρος κασίγνητος esse senserunt, sed, quod hebetis ingenii signum est, copulata uerba συμπολίτης συμπατριώτης (4) συμφυλέτης συνδημότης συνακόλουθος συνέταιρος συγκασίγνητος usurpauerunt. Item ἀνάκειται ἐπὶ τῆς κλίνης pro κεῖται ἐπὶ τῆς κλίνης, *in lecto recubat*, adhibi-

(1) 7, 37.

(2) Cf. Maurice Croiset, *Historia litterarum graecarum*, I p. 29. Cf. Xen. *An.* III, 4, 30 Ἐπιπαριόντες « apte dixit ἐπιπαριόντες id est ἐπὶ τοῦ ὄρους παρὰ τὸ ἄλλο τῶν Ἑλλήνων στράτευμα τὸ κατὰ τοὺς γηλόφους ἰόν ». Kühner.

(3) Ios. *A. I.* 5. 5, 2. Plut. *Mor.* 889 e. App. *Civ.* 5, 90 cf. ἀνεῖναι pro διεῖναι, ὑπόδειγμα pro παράδειγμα.

(4) Cf. Luc. *Pseudosoph.* 5 ; tamen iam apud Archippum poetam comicum, qui exeunte quinto ante Chr. saeculo fuit, eadem uox reperitur : *Com. fr.* 2, 728 ; συμπολίτης legitur apud Eur. *Heracl.* 826 ; συνέταιρος apud Herod. 7, 193.

tum est (1), cum recte ἀνάκειται ad statuam *quae erecta est* uel ad dona uotiua referendum esset. Sed longum est illa nullius saporis uerba coniuncta proferre, quae tamquam magnitudine metiebantur uel ad pondus examinabant (2).

Quod ad uerbi tempora et modos spectat, apud scriptores aetate inferiores saepissime desideratur subtilissima illa Atticorum diligentia qua alia ab aliis discernebant. Illi nunc perfectum pro aoristo posuerunt, quod qui Ammonium legerit ἀπέθανε ab ἀποτέθνηκε ita internoscentem ut illud rem nuper, hoc iampridem actam significet, non mirabitur; nunc imperfectum aut aoristum nullo discrimine adhibuerunt, quo uitio non ipsius Luciani sermo caret. Optatiuus uero modus, cum eum in Nouo Testamento alia structurae genera suppleant et apud Graecos huius aetatis nullus iam sit, attento animo non natura duce a posterioribus scriptoribus tractandus erat, ut saepius mendose usurpatus sit. Nam Dionysius Halicarnassensis dum Thucydidis (3) usum quendam optatiui reprehendit

(1) Iam apud Aristot. *Categ.* 7, 3, et Diph. (Ath. 23 c.).

(2) Ἐναποδείκνυσθαι pro ἀποδείκνυσθαι, ἐκνικᾶν pro νικᾶν, ἐξιδιάζεσθαι (iam apud Diph. Bekk. An. 96, 31, deinde ap. Pol. 8, 27, 7; Diod. Sic. 1, 23) pro ἰδιοῦσθαι. Insuper ea quae ueteres seorsum dicere solebant in unum coierunt uelut χρεωλυτῆσαι pro τὰ χρέα διαλύσασθαι, σιτομετρεῖσθαι pro σῖτον μετρεῖσθαι, αἰχμαλωτισθῆναι pro αἰχμάλωτον γενέσθαι, ἀγριελαία pro ἀγρία ἐλαία. Cuius generis confitendum est non pauca feliciter esse immutata.

(3) De Thuc. idiom, 12, 1. Locus Thucydidis hic est (II, 39): καίτοι εἰ ῥαθυμίᾳ μᾶλλον ἢ πόνων μελέτῃ ἐθέλοιμεν κινδυνεύειν, περιγίγνεται ἡμῖν. Vide quomodo Goodwin optatiuum hic et in

et emendandum curat, re tantum consulta et ratione explorata diiudicat quid probabile sit, ipse uero alio loco, uetiti oblitus, εἰ cum optatiuo ponit, cum in enuntiato primario sit indicatiuus praesentis : hic igitur loquendi modus qui apud Atticos quoque reperitur ubi uerbis sensa ita efferre uolebant ut ea quae condicionaliter enuntiarent fortasse re uera exsistere significarent, perturbatus postea et in sententiis condicionalibus constanter nec ullo discrimine usurpatus est (1) : unde sequitur in usu cottidiani sermonis optatiui uim uigoremque iam nullum fuisse. Eadem de causa particula ἄν saepius contra leges uel a Luciano siue omissa est siue peruerse et intempestiue adiuncta : exempli causa ponantur ἔνθα ἄν cum optatiuo pro coniunctiuo, item ἤν, ἐπειδάν, ἐπάν, ἔστ' ἄν, ὁπόταν, κἄν. Non raro modus potentialis qui dicitur particula ἄν caret.

Vt optatiuus modus ita uerbum medium quod uocatur ratione ac studio ad uitam reuocandum erat cum in lingua uulgari magis ac magis imminutum esset. Quam uero utilitatem ex hoc uerbi genere Attici ceperint neminem praeterit, quo significabant omnino rem actam ad eum qui agit reflecti, siue ipse agit siue efficit ut sibi ipsi agatur, siue designandum est eum rei agendae omnem operam et sollertiam impendere, quam ob causam multa uerba alioqui actiue usurpata medio futuro usa sunt. Atque subtilitas illa dicendi

Demosthene (xviii, 21) explicet, *Syntax of the moods and tenses of the greek verb*, Macmillan, 1889, § 500.

(1) Lucianus hunc usum dicendi plurimis locis praebet.

notanda est qua, cum ἀκοντίζειν idem ualeret ac *telum iacere*, medium cum praepositione διά copulatum adhibuerunt ad significandum illud quod est *in telo iaciendo contendere*, et eadem de causa, quamquam in re minus conspicua, διανοεῖσθαι dixerunt, quasi priore huius uerbi sensu qui erat *meditandi* indicaretur alteram cogitationem alteri opponi. Quam elegantiam posterioribus defuisse documento est quod Antiatticista qui uocatur διαλέγειν pro διαλέγεσθαι dicto patrocinatur, et in papyro secundi ante Christum saeculi μάχουσιν legitur. Iam enim post aetatem optimorum scriptorum atticorum desideratur acutum in hac re iudicium : Polybius actiuas formas προσεπιτάττειν στέλλειν συμβουλεύειν (1) pro mediis usurpat, rursus Philo multas medias pro actiuis (2), uelut ἁρμόζομαι, ἐλπίζομαι, οἰνοχοοῦμαι, ὑποβλέπομαι. Actiua quoque futura in locum mediorum promiscue successerunt. Apparet igitur apud inferioris aetatis Graecos uim mediae uerbi formae propriam obliuione obscuratam esse cum ex eo quod Moeris genus medium uerbi πράττω pro actiuo ut atticum commendat et Ammonius διδάξω a διδάξομαι discernere cogitur, tum ex illo Xenophontis Ephesii γυναῖκα ἄξομαι usu loquendi, quo dicit id quod latine est *ducam ad te mulierem* (3).

Infinitiui quoque usum magis coartatum esse eo demonstratur quod in graeca huius aetatis linguae

(1) Cf. *Berliner philol. Wochenschrift*, 1890, p. 759.

(2) Cf. *Bresl. phil. Abhandl.* IV, LIV f. et Treitel, *de Philonis Iudaei sermone*, p. 10.

(3) Rohde, der griech. Roman, S. 405, n. 1.

communi nullus iam est et apud posterioris aetatis scriptores nomina actionis in -σις desinentia pro eo usurpata permulta reperiuntur; qua in re quam longe ab Atticorum diligentia et elegantia afuerint optime intellegi potest. Hi enim cum nominibus uniuersis cum priuatiua particula α (1) coniunctis non carerent, ea uero, si occasio uenisset, proprie usurparent, ab iis plerumque ita abstinuerunt ut μὴ βούλεσθαι, μὴ μέλλειν, μὴ ἐθέλειν dicere satis haberent. Infinitiuus uero nominis more adhibitus eo uocibus uniuersis praestabat quod, commutatione significationis in his saepius facta, ille uim uerbi ad quod pertinet fidelius retinet. Praeterea cum nomine uniuerso non semper tempus, quo res agitur, indicetur, πάθος autem idem ualeat ac πάσχειν et παθεῖν, Attici, dum infinitiuo utuntur, omnem temporum uarietatem discernere ac significare potuerunt, et πράττειν uel πρᾶξαι dicentes notionem faciendi magis definite efferre quam substantiuo πρᾶξις. Haec enim infinitiui progressio fuit ut, cum origine uim nominis in datiuum casum flexi habuisset, rursus, adiuncto articulo, ad pristinum statum redactus sit: cum uero poetae epici et lyrici infinitiuum cum τό tantum casu nominatiuo, scaenici et Herodotus eundem maximam partem casu accusatiuo usurpent, in postremis uero Aeschyli fabulis iam infinitiui cum τοῦ et τῷ reperiantur, in prosa oratione attica quot sunt infinitiui cum τό, tot casibus obliquis siue cum siue sine praepo-

(1) Velut ἀδυνασία, etc.

sitione usurpati legentibus occurrunt. Neque quemquam fugit quae uirium incrementa apud Demosthenem et in Thucydidis orationibus infinitiuus articulo comitatus ceperit : qui usus tam late patuit ut ea ipsa imprimis causa fuerit cur infinitiuus postremo obliuione exstinctus sit : quotiens enim aliqui mos dicendi extra modum augetur, prope est ut deleatur et pereat. Primum enim apud Polybium hoc structurae genus saepius adhiberi coeptum est, quod postea in infinitiui locum successit, ut sententia per ἵνα enuntiaretur, siue pro ὅπως quod cum uerbis φροντίζειν προνοεῖσθαι Attici coniungere solebant, siue pro infinitiuo quo illi sensu finali in permultis uerbis utebantur. Quod particulae ἵνα praecipuum studium, quo nec Lucianus nec Aristides nec Aelianus carent, uerisimile est ab imitatione latinae linguae profectum esse. Iam uero, cum apud Thucydidem infinitiuus cum τοῦ reperiatur, ad rationem uerborum εὐδαιμονίζω ζηλῶ μακαρίζω uel, quod plerumque in negandis sententiis occurrit, per analogiam uerborum εἴργω ἀπέχω usurpatus apud Polybium nonnumquam ita adhibetur ut ad pristinam uim et proprietatem nullo modo attineat. Et Aelianus infinitiuum nominis more a praepositione pendentem iis locis posuit ubi sententia per coniunctionem struenda erat : quod elocutionis genus, ut hebraici sermonis auctoritate fortasse amplificatum est, ita per graecam linguam ipsam eiusque incrementa adoleuit, cum memoria priscae significationis oblitterata inferiores aetate scriptores infinituum cum τοῦ pro enuntiato cum ἵνα uel ὅτι uel

pro infinitiuo solo promiscue usurpauerint. Et contra Atticorum consuetudinem ab his peccatum est accusatiuum pronominis reflexiui cum infinitiuo ponentibus, etsi et primariae et secundariae sententiae idem est subiectum neque ad excusationem sumi potest uoluisse eos subiectum infinitiui illustrare et efferre : hoc contra, imprimis apud Polybium et Aelianum, ad sermonis latini exemplum et auctoritatem uidetur reuocandum esse. Neque minus ab Atticorum diligentia degenerauerunt quod ad infinituum absolute positum spectat. Attici enim elocutione ἑκὼν εἶναι non usi sunt nisi in re neganda : quod rationi consentaneum est. Nam ἑκὼν εἶναι οὐ ψεύσομαι si dicas, ἑκὼν εἶναι sententiam ita circumscribit ut in ea contrarium illud insit quale est ἀναγκασθείς που ψεύσομαι. In coniunctis uero uerbis ἑκὼν εἶναι ψεύσομαι nulla exceptio nullum contrarium continetur. Rectissime igitur Phrynichus eos reprehendit (1) qui, cum priscam sermonis elegantiam profiterentur et prae se ferrent, tamen dicerent ἑκὼν εἶναι ἔπραξα, ἑκὼν εἶναι ἐπεβουλευσάμην, quam in uituperationem ipse Aristides incidit (2). Postremo satis erit ὅτι cum νομίζω οἴομαι, infinitiuum autem cum οἶδα coniunctum commemorauisse ut manifestum sit multum in hac grammaticae parte inferioris aetatis Graecos ab Atticis recessisse (3).

Eadem in participiis pro aduerbiis adhibendis iam

(1) Phrynichus, ed. Rutherford, p. 340.

(2) XLII, 793, 335.

(3) Cf. quod ad Arrianum spectat, Bœhner, *Acta Semin. Erl.* IV, 52. *Ibid.* II, 205 (Stich, *de Polybii dicendi genere*).

ab Aristotelis tempore infirmitas est iudicii : hic enim loquendi usus tum latius patet, ut Aristides ipse fines ab Atticistis constitutos saepius transierit. Item cum Attici participii absolute positi genetiuum pro participio coniuncto non adhiberent nisi ut participium maiore ui efferrent, Polybius etiam cum eo consilio non ducitur hoc dicendi modo utitur (1).

Vt medii generis uerborum et optatiui atque infinitiui, ita particularum et datiui et dualis usus minus minusque omnium in consuetudine loquendi stabilitus erat : unde sequitur multum in his usurpandis a scriptoribus peccatum esse, praesertim cum ea summo studio consectarentur. Particularum enim tractactio ut in subtilissimo ingenii acumine erat, ita a sermone quo tunc loquebantur alienam factam non est mirandum existimantium iudicium saepius offendere. Nonne Plato in his usurpandis ideo praestitit quod dialogi eius cottidiani sermonis habitum summa arte referunt ? Iis uero qui ab illo hanc dicendi facultatem, cuius inde ab Aristotelis aetate inopia facta erat, repetere conati sunt, nonnumquam accidit ut a proposito longius abessent. Sanum enim particularum iudicium desiderari ex eo colligitur quod grammatici aetate posteriores eas dicunt esse inania uerba (2) quae metri uel ornamenti causa assumantur : fieri igitur non poterat quin hic illic reperirentur uel male intellectae uel praue collocatae. Etenim Phrynichus (3)

(1) Kælker, *Leipz. Stud.* III, p. 281.
(2) Cf. Dionys. Thr. in Bekk. *An.* p. 643, 11 (p. 96 Vhlig).
(3) Rutherford, p. 428.

eorum indiligentiam dicendi indignatur qui *μὲν οὖν τοῦτο πράξω* coniungebant, eosque admonet optimos politi sermonis auctores *ἐγὼ μὲν οὖν* et *καλὰ μὲν οὖν* et *τὰ μὲν οὖν πράγματα* dixisse : iam Polemonem sophistam *τοιγαροῦν* in posteriore, *τοίνυν* uero in priore loco collocauisse constat (1). Atque in duali numero (2) usurpando nihil esse erratum nemo non miraretur, cum inde ab Alexandri tempore adhiberi desitus sit, et in graeca lingua communi exoleuerit. Itaque attici sermonis studiosis scriptoribus ornamento erat teste Luciano qui Lexiphanem suum *δύ' ὀβολώ* et *τὰ κόρα μοι ἐπιτεθόλωσθον* (3) dicentem inducit, alium uero quendam *τριῶν μνοῖν* coniungentem (4) et forma *νῷϊ* loco datiui utentem (5). Simili accuratae elegantiae consectatione factum est ut datiuus, qui secundo post Christum saeculo iam ad labem uergebat, nonnumquam mendose usurpatus sit, uelut cum ad significandam temporis diuturnitatem positus apud Aelianum (6) Galenum aliosque reperitur.

Etiam in negandis per *οὐ* aut per *μή* sententiis rectum iudicium apud posterioris aetatis scriptores desi-

(1) Schmid, *der Atticismus*, I p. 40.

(2) Cf. Hasse, *der Dualis im Attischen*, Leipzig 1883 ; H. Schmidt, *de duali Graecorum et emoriente et reuiuiscente*, (*Breslauer philol. Abhdlgn VI Bd.*, *4 Heft*, 1893), qui dualem numerum sub centesimum ante Chr. annum exoleuisse dicit.

(3) *Cap.* 1 et 4.

(4) *Pseudolog.* 29.

(5) *Pseudosoph.* 6. Socrates quidam eos qui nimio attici sermonis studio genere dicendi soloeco utebantur hunc in modum irridet ut dicat : νῷϊ τοῦτο δοκεῖ, σύ, ἔφη, καὶ νῷϊν ἐρεῖς ὡς ἁμαρτάνομεν.

(6) Cf. Schmid, l. c. III, 55, 57.

deratur. Hi enim non iam intellexerunt altero opus esse, si sententia, altero, si res ipsa neganda esset; neque ulla ratio reperiri potuit, qua ducti Lucianus et Plutarchus (1) οὐ aut μή potissimum adsciuerint, nisi forte illa ad quam quorundam usus reuocandus est, ne oratio hiaret.

Ne longum fiat, haec ad id quod propositum erat demonstrandum satis erunt, ut intellegatur siue in uerbis quae idem significant, siue in eis quae poetarum uel uulgi propria sunt, internoscendis, siue in casuum et praepositionum et temporum modorumque et uerbi medii et dualis numeri et particularum usu quae iungendis aut negandis sententiis inseruiunt, post optimos quinti et quarti ante Chr. saeculi scriptores accuratam diligentiam desiderari, et inde ab Alexandri tempore graecam linguam communem ab attica quidem dialecto duci, sed subtilitate attici sermonis propria ita destitutam esse, ut eam recuperare non iam posset (2).

(1) Cf. Stegmann, *Ueb. den Gebrauch der Negationen bei Plut.* Progr. 1882 p. 19. Blass, Plut. *Pyrrh.* 10. Tamen uide quae de hac re disseruit Gildersleeve in *Americ. Journ. of Philol.* I, 45; cf. ibid. VII, 496.

(2) Cf. Winer's *Grammatik des neutestamentlichen Sprachidioms* 8 Aufl. neu bearbeitet von Schmiedel, I Theil, Gœttingen, 1894, p. 17.

CAPVT TERTIVM

QVOMODO ATTICAE ELEGANTIAE CONSECTATIO A DIONYSI HALICARNASSENSIS SANITATE RECESSERIT ET IN SERVILEM IMITATIONEM POSTREMO ABIERIT.

Quid facerent quicumque linguam emendare aggrediebantur siue grammatici siue rhetores? Ad quam rationem ac uiam susceptum sermonis expurgandi munus reuocare debebant? Neque enim cum iis facio qui linguas non deprauari neque perpoliri sed secundum certas leges mutari dicunt et in plebeio sermone ut incondito et naturae ipsi parente plurimum delectantur, orationem uero ad studia litterarum idoneam tamquam ex pacto natam minus probant. Immo sunt quaedam uitiose dicta ; nam linguae ut non extra naturam ita saepius extra sanitatem mutantur : morbus autem cum sit res naturalis, tamen medicis ii traduntur qui male ualent. Eodem modo grammaticorum est tueri puram et incorruptam consuetudinem loquendi quae consensu doctorum et urbanorum hominum continetur. Solent enim plerique neglegentes ac socordes in lingua utenda esse ; solet uera uerborum figura et uis propria obliuione obscurari et naturalis sensus hebescere quo iudicari potest quid purum sit quid inquinatum, quid politum quid abiectum,

quid durum quid numerosum. Cum igitur graeca lingua imperatorum Romanorum tempore numeros et ubertatem linguae classicae quae dicitur in sonis et flexurae generibus amisisset, et in sententiis disponendis, uocabulis conformandis declinandis copulandis falsas rationes nonnumquam secuta esset, ut uerbo dicam, uere corrupta esset, erat cur ad normam sermonis perfectioris derigeretur, nec sibi ipsi relinqueretur et, quemadmodum dicitur, secundo amne ferretur.

Eum uero, qui sermonem uult expurgare, oportet ante omnia in sermonis scientia quam maxime uersatum esse (1). Linguarum enim cum ratio ita constet ut uno tenore progrediantur, multa quae posteriore aetate fructum ferunt priscis temporibus nascentia deprehenduntur (2). Non quo, ut quidam praue opinantur, immutationes sermonis ab antiquitate ita repetendae sint ut iam apud ueteres rerum nouitas eadem inueniri dicatur quae apud posteriores. Vt sunt ueterum multa ad quae recentiorum mutatae elocutiones aliae aliis propius accedant, ita cuiusque aetatis propria quaeque diligentissime internosci oportet, ne, uerbi causa, putes iam apud Platonem (3) ἐρεῖν tantum non pro λέγειν poni et infinitiuum futuri pro infinitiuo prae-

(1) Immerito Lucianus dictionem ἃ μέν.... ἃ δέ pro τὰ μέν.... τὰ δέ positam improbauit cum ea Demosthenes usus esset (*Ctesiph.* 71), neque est quod cum Cobeto hunc locum emendandum esse putes.

(2) Cf. Maurophrydes in *Kuhn's Zeitschr.* VII, 341 et Psichari in *Et. Néogr.* p. VIII.

(3) Phaedo, 102 D.

sentis ex illo tempore uel etiam ex antiquiore coeptum esse usurpari (1) : neque proprietatem latini sermonis esse sane dixeris quod Thucydides dictione τῆς αὐτῆς γνώμης εἶναι utitur quae proxime ad latinam hanc *Titus erat summae facilitatis* accedit, cum latinae linguae prorsus similia non reperiantur nisi apud posteriores aetate scriptores ; et aduerbia quae ad id quod est siue *ubi* siue *quo* significandum ualent alia pro aliis a ueteribus posita esse ideo nonnumquam uidentur quod Graeci celeritate illa cogitandi uerbum omittebant cuius e ratione alterutrum anticipatione usurpabatur ; perturbationis uero et uitii quo postea ποῖ pro ποῦ οἴκαδε pro οἴκοι ἐκεῖσε pro ἐκεῖ adhibita reperiuntur exempla optimorum scriptorum nulla sunt ; neque cum eis facio qui lectiones qualis est illa fabulae Sophocleae ἐμοὶ μὲν ἀρκεῖ τοῦτον ἐς δόμους μένειν (2) defendere sollertius quam rectius conati sunt (3). Item ea quae apud Herodotum Thucydidem Sophoclem aliosque occurrunt uelut ἀπαρνεόμενός ἐστι, ἦν γὰρ Περικλέους γνώμη νενικηκυῖα, οἷά μοι βεβουλευκὼς ἔχει immerito quidam tantum non eadem ratione dicta esse existimauerunt qua inferiore aetate res non in unum uerbum arte composuerunt sed in partes singulas diuiserunt et explicauerunt (4). Definiendum igitur erat interuallum inter ueterum et recentiorum modos dicendi uarios

(1) Hanc sententiam profitetur B. L. Gildersleeve in *Americ. Journ. of Philol.* N° 33 (1888), p. 100.

(2) *Ai.* 80.

(3) Cf. Psichari, *Études néo-grecques.*

(4) Cf. Kuehner, *Ausf. gr. Gramm.* II, p. 35. 624, et qui nimis multa a ueteribus repeti uult H. C. Mueller, *histor. Gramm. der hellen. Sprache.*

interiectum : opus erat inquirere qui primi illud transiissent, utrum iam raro scriptores praestantissimi antiquitatis ipsius, an exeunte illorum aetate scriptores deteriores ; deinde explorare qui nouiciae dictionis habitus proprius esset, quae frequentia, num a graecae linguae natura et indole abhorreret, num pura et emendata locutio iuxta inquinatam etiamnum in consuetudine loquendi una uersaretur. Sic demum Phrynichus non solum quae optimo iure usurpabantur ipse non reprehendisset, sed etiam, si qua homines harum rerum minus prudentes culpauissent, ea curriculo linguae graecae commemorato ab illis defendisset. Vt enim molestissimi est hominis barbarum profiteri esse quiquid cum prisca consuetudine optimorum scriptorum non congruit (1), ita illis utique accidit qui linguae per gradus et aetates persequendae impares sunt. In qua autem etiam apertissimarum rerum ignorantia Phrynichus uersatus sit cum alia docent tum ea quae de πέπραγα et πέπραχα ita dicit ut, cum alterum potius altero habitum esse declaret, appareat uim transitiuam uerbi πέπραχα et intransitiuam uerbi πέπραγα eum fefellisse (2).

Quid mirum si multa alia eum praeterierunt, in qui-

(1) Naberus, uir quidem doctissimus sed disciplina Batauorum propria imbutus, nimis inconsultum se praestitit cum ante uiginti duo annos summam Heliodori barbariem esse dixerit quod negationes οὐ et μή permiscuerit (*Mnemosyne* N.-S. v. I, pars II (1873), p. 151-158). Rectius noster C. Thurot docuit illam barbariem tum factam esse omnium consuetudinem loquendi, et linguam, quae in ore est hominum, non posse non mutari (*Rev. Crit.* 1873, 2 sem., p. 188).

(2) Cf. Bekker, *Anecd.* 60, 5.

bus non tam mendae erant deprehendendae quam antiqua elocutio agnoscenda quae primum rarissima, deinde latius patuit, nec tamen fines graecae linguae proprios excessit, multa etiam quae in graeca lingua pridem nata semina paulatim pubuerant dum maturitatem assecuta sunt. Non ab illo quidem expectanda erat ratio illa linguam per aetates et tempora persequendi qua nunc ita utimur ut sermonem ad historiae fidem et auctoritatem derigamus. Sed illud utique debuit cauere ne ea reiceret quibus optimi scriptores attici ipsi usi erant uelut *πηνίκα* (1) pro *πότε* positum non ad horam sed ad tempus toto genere significandum, et *τέτευχα* pro *τετύχηκα* quod Demosthenes (2)

(1) Phryn. Rutherf. p. 192. Luc. *Pseudosoph.* 5.

(2) *De cor.* 97, 313 (Weil). Ἐν τίσιν οὖν σὺ νεανίας καὶ **πηνίκα** λαμπρός; — Verbi ἀναπίπτειν, quod apud Cratinum et Xenophontem de resupinis remigibus dicitur, non mira est uis noua qua postea *recumbere* significauit. — Quod ad praepositiones pro nudis casibus positas spectat vide Lutz, *die Praepos. bei den attischen Rednern* (1887-88), p. 79, 9. — De comparatiuo gradu cum μᾶλλον coniuncto, quem usum Herodianus reprehendit, vide Krüger, *Griech. Sprachl.* 49, 7, 5. — Neque erat cur Phrynichus moneret περιέσσευσεν monstruose dici pro ἐπερίσσευσε, cum pridem anceps in his rebus Graecorum iudicium fuisset et Attici, imprimis Plato, in augmento uerbi ἀνέχεσθαι haesissent. Etiam ἐδιήτων apud ueteres reperitur et ἐπετήδευσα, etsi ἐπιτηδεύω deductum est ab ἐπιτηδὲς, quod dubitant utrum ad praepositionem ἐπὶ pertineat necne. — Formas ἀπίναι προσίναι ἐξίναι κατίναι Phrynichus barbaras esse dixit. Tamen rectae sunt, si ad rationem formae τι-θέ-ναι (ἀπ-ί-ναι) reuocentur, cum ἀπιέναι ab ἀπι-Fεναι ducendum esse uideatur; forma autem εἰσιέτω qua Lollianum usum esse testis est idem Phrynichus ad rationem uerbi τίθημι (τιθέναι = ἱέναι) reducenda est (cf. G. Meyer, *Gr. gr.* § 485). — Aduerbium ἔκτοτε pro ἐξ ἐκείνου dictum Phry-

recepit utrumque, et πρώτως quod culpa uacuum nec Plato nec Aristoteles auersati sunt. Debuit imprimis ita sapere ut genus dicendi non diceret soloecum esse si uerborum structura fieret non Atticis probata acceptaque, barbarum uero si qua nomina usurparentur non certa fide apud scriptores atticos usitata quos optimos esse professus erat. Vt internoscere minus posset utrum mutationes e similitudine quadam prisci sermonis natae a grammaticis legibus linguae graecae discederent necne, non illi nisi sano iudicio opus erat ne multa omni reprehensione carentia improbaret uelut εὐκαιρῶ pro εὖ σχολῆς ἔχω cum nullo mendo positum. Incidit quidem in illum errorem eadem atque plurimi illius aetatis homines opinione praeiudicata ductus : sed ut ei crimini uertere non aequum est quod secundo post Christum saeculo, non undeuicesimo fuit, ita parum excusandus est quod se aequa-

nichus improbat, etsi iam apud Homerum εἰσότε et apud Aeschinem εἰς ὁπότε et apud Platonem εἰς τότε, etiam ἐξότε apud Aristophanem, in chorica quidem parte (*Av.* 334), reperitur. Perperam igitur Lucianus Socratem inducit alicui per dissimulationem gratulantem quod uerbo ἔκτοτε usus est (*Pseudosoph.* 7); hoc enim uerbum nouicium et graecae linguae rationi consentaneum erat et a Luciano receptum est (*Asin.* 45, 613). Idem formas (ἐκ)λέλογχα et λέλογχα reiciendas esse dicit, cum grammaticae legibus conueniant, (ἐξ)είλοχα autem et εἴληχα non sine perturbatione aliqua e ratione perfecti εἴρηκα prouenerint. — Comparatiuum ῥαότερον quod pro ῥᾷον positum Phrynichus improbat, nititur auctoritate similium horum quae sunt apud Homerum χειρότερος ἀσσοτέρω ἐπασσύτεροι, et forma ταχίων quam Phrynichus et Lucianus reiciunt non minus legitima erat quam αἰσχίων, ne plura memorem.

lesque suos non Periclis nec Demosthenis sed Commodi et Fauorini tempore esse non cognouit. Num linguae graecae integram salubritatem ab eo restitui posse spes ulla erat qui ad sanitatem ipse reuocandus esset?

Sanitas autem apud Dionysium Halicarnassensem reperitur, qui iudicio praecipue firmo praeditus litterarum graecarum salutem non a seruili ueterum imitatione sed ab instauratione quadam, quoad fieri posset, antiquorum morum et antiquae rationis exspectandam esse ipse intellexit, ceteris persuadere non potuit. Librum enim de imitatione scripserat, cuius iactura iis quasi resarcitur quae sunt in reliquis eius scriptis de imitationis ratione. Manifestum est igitur ab insano illo studio, quod fuit postea, proprietates attici sermonis consectandi animum eius abhorruisse; ei quod est ἑλληνίζειν non opponendum esse existimauit illud quod ἀττικίζειν sed id quod est βαρβαρίζειν et σολοικίζειν. Nihil ad elegantiae sensum excitandum magis ualere opinatus est quam atticae disciplinae instaurationem; sed politum dicendi genus ita uoluit esse ut ne soloecum neue barbarum reciperetur, non ut oratio eo pluris facienda esse uideretur quo magis ab omnium consuetudine loquendi abhorreret. Non iis assensus est qui ob eam causam quod ueteres imitandos sibi proposuissent, lingua ueterum utebantur, siue nomina apud antiquos rara (1), siue ea quae prisco tempore magis trita tum obsoleta erant (2)

(1) *Art. rhet.* X, 19.
(2) *Ibid.* X, 8.

usurpantes, siue si qua poeta comicus ioci causa finxerat arcessentes cum res non posceret nec ulla excusatio esset ; sed ex imitatione ueterum existimauit oportere linguam effici cum ad litteras idoneam tum quae in multitudinis intellegentiam caderet, peccare autem orationem quae hominibus litterarum humaniorum expertibus non aperta esset sed tantum ad pauciores quosdam in optimis artibus uersatos spectaret : antiquitatem censuit esse imitandam sed ut sine molestiis ita non sine mente ac ratione ; non omnia ueterum esse laudanda sed quae optima protulissent, cetera cauenda et uitanda ; exemplum imitandi a Demosthene esse sumendum qui Thucydidis praestantissima in naturam suam uertere conatus esset sed obsoleta et insolentia reiecisset quod orationi ad uitae usum pertinenti repugnarent ; uerbis eligendis quidem consulendum esse, sed multo magis ad res accommodandis et apte ac numerose componendis. Ne longum faciam, genus dicendi non ad fugitiua et mobilia studia sed ad uniuersam et sempiternam elegantiae normam reuocauit.

Quam uero egregia cum de sublimi tum de omni genere dicendi disputauerit scriptor libelli περὶ ὕψους primo, ut uidetur, post Chr. n. saeculo facti neminem fugit : aequalibus suasit ut ad antiquitatem imprimis ad Demosthenem et Platonem redirent tamquam ad fontes sacros et perennes unde ea haurirent quibus ad grandia excitarentur. Similia sensit Dio Chrysostomus qui scriptores hortatus est ut in familiaritate ueterum uersarentur et ipse ita uersatus est ut, etsi

multa in eo optimorum scriptorum atticorum collatione minus laudanda sunt, tamen id quod est orationis maximum effecerit, uerborum cum rebus conuenientiam. Non enim ille abolita et abrogata uocabula undique nullo iudicio arcessiuit, nec oratione usus est ab aetatis suae consuetudine loquendi prorsus aliena. Sed, cum in eo sanitas inesset, non est ueritus permulta recipere quamuis atticae cousuetudini incorruptae repugnantia et quibus post Herodem Atticum uehementer reclamatum esset.

Neque minus Plutarchus animo fuit a putidis hominibus sermonem atticum religiosissime affectantibus alieno. Huic quoque illa circa orationem contentio et illa aemulatio uidebantur artis esse humilis et sophisticae, praesertim cum ea quidam consectarentur quae imitari non possent (1). Et eos qui non rebus studebant sed ante omnia sermonem uolebant atticum esse facete dixit haud secus se gerere ac si media bruma togam nollent induere nisi lana esset attici ueruecis; quo fieri subicit ut in scholis iuuenum iudicium desideretur, non uero loquacitas, cum non res hominum respiciant sed sola uerba polita laudent, nec sciant curentue scire utrum ea quae audiant utilia an inutilia sint, necessaria an superuacanea.

Et Lucianus ad quas artis rationes oratio esset derigenda rectissime monuerat. Sermonem non probabat nisi perspicuum et apertum, a uerbis obsoletis et sordidis alienum, communi intellegentiae obuium,

(1) Nic. 1.

nihilominus doctis acceptum (1). Veterum imitationem suadebat sed sanam quandam, non in eam partem inclinatam ut ab eis toti loci asciscendi putarentur, oratoresque irridebat qui ex Demosthenis aduersus Philippum contionibus orationem sibi nonnullis mutatis conficiebant uel coniuncta uerba hinc illinc arcessebant (2); et illis illudebat qui Atticos se esse arbitrabantur, si modo orationem aliquot atticis floribus conspersissent uelut ἄττα κᾆτα μῶν ἀμεγέπη λῷστε δήπουθεν ἦ δ᾽ ὅς (3); uel inter confabulandum obsoleta uerba et apud ueteres solos usurpata emisissent (4). Sed in Lexiphane potissimum quid de Atticorum praua imitatione sentiret declarauit. Dum dementem illum uirum iam ad sanitatem reductum uitanda et probanda per Lycinum docet, eum admonuit ut posthac flores sermonis caducos contemneret et athletarum more pastum animi suci plenum peteret; ut Gratiis et perspicuitati inseruiret, sophistarum insulsitatem repudiaret, in rebus prius uersaretur quas deinde apto sermone ornaret, nedum cogitata ad uerba insolentia aut modo ficta accommodare uellet et omnia desperata esse putaret nisi uocabulum quod in deliciis haberet quamuis inutile orationi inserere posset; ut ea maxime uitiosa esse existimaret quae tamquam Lycophronis *Alexandra* interprete indigerent; postremo ut orationem illam permixtam et in-

(1) *Quomodo scrib. hist.* 44.
(2) *Iup. trag.* 14. *Bis accus.* 26.
(3) *Rhet. praec.* 16. *Lexiph.* 20.
(4) *Ibid.* cap. 17.

compositam primum dedisceret, deinde ueteribus uteretur magistris eosque imitaretur.

Postremo notandum est Galeni sanum de eisdem rebus iudicium. Hic enim scripsit non solum de herbarum doctrina sed etiam de linguae graecae disciplina libros. Qui cum eo spectabant ut multis prisca uerba attica uitiose usurpantibus rectam eorum significationem definiret, tum ut iis aduersaretur qui antiquum sermonem atticum in litteris et in colloquiis solum adhiberi uolebant, iuraque communis linguae graecae persequeretur et repeteret (1) : sapientissime admonuit et atticae dialecti ipsius mutationem fuisse et uarietatem, et florentissima litterarum aetate scriptores mori omnium attice loquentium obtemperauisse; neque eum pertaesum est iterum atque iterum dicere ad consuetudinem Graecorum communem orationem derigendam esse. Sex libros pugnaci et quasi bellatorio stilo aduersus eos scripsit qui soloecum dicendi genus aetatis suae reprehendebant : aequalibus scriptoribus et doctis omnino uiris eadem iura uoluit concedi quibus olim Attici scriptores non am-

(1) **Περὶ τῆς τάξεως τῶν ἰδίων βίβλιων 5** : Ἐγράφη δέ μοι ποτε καὶ πραγματεία πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι τῇ φωνῇ· τοσούτου δέω παιδείας τι μόριον ὑπολαμβάνειν τὸ ἀττικίζειν. — **Περὶ συνθέσεως φαρμάκων I, 10** : Ἐπιδέδεικται γάρ μοι κατὰ τὰ πρὸς τοὺς ἐπιτιμῶντας τοῖς σολοικίζουσι καὶ αὐτοὺς Ἀττικοὺς ἄνδρας ἠκολουθηκέναι τῇ κρατούσῃ συνηθείᾳ. δέδεικται γὰρ καὶ ἄλλοις πρὸ ἐμοῦ τῆς Ἀτθίδος αὐτῆς διαλέκτου μετάπτωσις γεγονέναι πολυειδής, ἕπεσθαί τε τῷ καθ' ἑαυτοὺς ἔθει πάντας ὧν δόξα μεγίστη παρὰ τοῖς Ἕλλησίν ἐστιν ἐπὶ λόγων δεινότητι. Καὶ ἡμεῖς οὖν τῇ κρατούσῃ συνηθείᾳ χρησόμεθα.

bigua potestate usi erant, ut consuetudinem loquendi sequerentur quae praeualuisset eoque modo id quod est orationis maximum efficerent, perspicuum et communi intellegentiae obuium sermonem. Leuioris, inquit, momenti est plerosque homines ignorare quod fuerit ante sescentos annos quorundam fructuum auctumnalium nomen, si modo nouerint quae sit uis eorum propria (1); neque ab ulla re magis abhorret quam ab eorum stultitia qui circa unamquamque syllabam contendunt et in uerbis aetatem consumunt (2). Sed apud Lucianum tantum Lexiphanes a Sopoli medico sanatur, re ipsa ne Galenus quidem morbo atticissantium mederi potuit : etiamsi sibi persuasissent grauiter se aegrotare et uenenum potum oportere eici, recusassent profecto antidotum haurire nisi e calicibus ex attica argilla fictis.

Profecto haec sunt praeclara a Dionysio a Dione a Plutarcho a Luciano a Galeno de oratione tradita praecepta. Optime intellexerunt in ueterum Graecorum imprimis Atticorum litteris inesse singularem quandam elegantiam et artis praestantiam, speciem pulchritudinis eximiam, ex qua scriptores merito hortati sunt ut excellentia et ipsi imitatione exprime-

(1) **Περὶ τρόφων δυνάμεως**, II, 11 : ἐνίας δὲ τῶν ἐφεξῆς εἰρημένων ὀπωρῶν ἀγνοοῦσιν οἱ πολλοὶ τῶν ἀνθρώπων ὅπως ὠνόμαζον οἱ πρὸ ἑξακοσίων ἐτῶν Ἀθηναῖοι.... οὐδὲ γὰρ βλαβήσονταί τι τὰς παλαιοτάτας προσηγορίας ἀγνοοῦντες, ἂν γιγνώσκωσι τὰς δυνάμεις αὐτῶν.

(2) VIII, 494, 10 : οἱ δὲ νεώτεροι μόνον οὐ καθ᾽ ἑκάστην συλλαβὴν σοφίζονταί τε καὶ φιλονεικοῦσι. IX, 570, 12 : ἐν τοῖς ὀνόμασι κατατρίβουσι τὸν ἑαυτῶν βίον.

rent. Et illa graeca exempla, quibus nihil potest esse perfectius, cum Romanorum tum recentiorum gentium scriptores probatissimi intuentes stilum derexerunt : ad illa imitando referenda est omnis polita oratio. Sed Graecis imitatio res erat periculosa et plena aleae. Difficillimum erat, cum antiquam sermonis salubritatem et simplicitatem, antiquam litterarum consuetudinem consectarentur, fines licitos non ita transire ut multa quoque quae erant linguae antiquae propria una mutuarentur. Memoria ipsa dura est domina : Polemo nonne dicit e Dionis libris ea quae sint priscae orationis umeris, quae uero antiquorum poetarum plaustris oportere uehi ? In Plutarcho tam multa inest aduenticiae locutionis copia ut, cum aliena ad sua deinceps apponere soleat, oratio eius saepissime in centonis figuram abeat. Hoc enim consentaneum est incommodi accidere iis qui inferiore aetate sunt scriptoribus ut, quo magis in ueterum litteris uersentur, eo magis ipsi impediantur ; in periculo sunt ne linguam a superioribus informatam eiusque artifices optimos tamquam pro se cogitare patiantur ; optio eis multo minus datur quid potius aut quomodo dicatur ; scribentibus copia eorum quae legerunt prompta et parata occurrit, et, cum singula sensa uel subtilissima uerborum sententiarumque recordationes statim excitent, sequitur uim effectricem imminui, immo ita perire ut ipsa ea quae ex animi sententia dicuntur et habent ingenuum quiddam ac sincerum, dictionem aptam et confectam tamquam sponte sua secum afferant nec possint dici nisi aliena locutione.

Res est peruulgata homines nasci proprio et singulari ingenio praeditos, mori uero iam ad alicuius similitudinem traductos.

Accedit quod inferioris aetatis ratio dicendi uoluntasque ad antiquitatis studium adeo pertinebat ut etiam scriptores qui uetera minime affectabant eodem tentarentur. Nonne Lucianus dum uocabulo *κᾶτα*, cui ut fucato illudit, ipse utitur (1) linguam ueterum ultra quam per ipsius praecepta licuit usurpat ? et apud Galenum cum quaedam sunt e Platone (2) manifesta imitatione efficta, tum saepe reperitur uox *χθιζινός* quam Phrynichus ut poetarum propriam reicit. Ne Dionysius quidem excipiendus est qui plura a memoria sibi suppeditata in sermonem suum recepit quam ratione et disciplina recipi uolebat et ita secum pugnauit ut uocabulum *ἀκραιφνής* quod inter obsoleta Thucydidis et in plerorumque intellegentiam non cadentia adnumerauerat, per occasionem ipse usurpauerit. Ab eis enim qui uerba a uetustate dedita opera repetebant non poterat fieri quin multa etiam ad eos peruaderent qui sermonis attici elegantiam nequaquam iactabant : multum abest ut Plutarchi aut Luciani aut Galeni lingua ea sit qua tunc multi-

(1) Eodem modo uerbum διέφθορα intransitiue positum alio loco irridet, alio usurpat (*Nigr.* 55) et, quemadmodum dicitur, suo se gladio iugulat. Ceterum nullum peccatum erat neque eius neque medicorum illorum quos Phrynichus admonet oportuisse dicere διεφθαρμένον αἷμα non διεφθορὸς αἷμα ; nonne iam apud Homerum legitur μαινόμενε, φρένας ἠλέ, διέφθορας (*Il.* XV, 128) ?

(2) Vol. X, 4 sqq. Cf. Plat. *Rep.* VI, 494 C. D.

tudo hominum loquebatur. Moribus aetatis suae obtemperare coacti sunt et, ueniente occasione, ea recipere quae paulo ante improbauerant. Cum uero homines doctrina et iudicio praeclari orationem ad ea quae rectissime praeceperant accommodare ipsi non potuerint, non mirum est multo minus eos potuisse quibus omnia sordebant quae non essent ex antiquis litteris hausta. Hi Thucydidem, non quemadmodum Demosthenes fecerat et Dionysius faciendum esse monuerat, sed ita imitabantur ut eius maxime propria et uitiis proxima consectarentur. Orationis illius nouitate cum animi eorum mouerentur, uerba affectabant quae ille, linguae nondum adultae difficultatibus obluctatus, aut primum finxerat aut usu proprio renouauerat ; delectabantur enuntiatis quibus nonnumquam utitur longioribus et inordinatis quae, cum ualidi et audacis ingenii quasi flatu non iam impellerentur, fiebant pro fortibus temeraria pro grauibus languida ; obscuritatem eius ex eo natam quod res abditas mentis acie penitus indagatas cum summa breuitate consequi saepius studet, sibi putabant laudi esse futuram, atque ab ea sermonem duci, qualis esse posset perfectissimus, arbitrati non efficiebant nisi portentosa. Neque difficile est suspicari quid necesse fuerit e Lysianae subtilitatis ac tenuitatis imitatione fieri : non enim illa oratione quae etiam incompta placet uti recte potest nisi penes quem liberrima et sollertissima est linguae tractatio ; quod nisi ita est, consequitur genus dicendi pro presso exile, neglegens pro simplici. Hyperides cum multa plebis more

dicta et siue ab attica dialecto incorrupta siue a grammaticae legibus abhorrentia non extra modum urbanitatemque sed ita recepisset ut orationi uiuidus non fucatus color accederet, eadem apud imitatores eius in germana uitia abierunt (1). Solent enim eiusmodi homines ea affectare quae insolenter dicta sunt, nec curant discernere num recte et commode ea assumant. Illud quod nonnumquam apud Xenophontem reperitur ἔστιν οἵ pro εἰσὶν οἵ positum Arrianus postea ad satietatem usurpauit. Plutarchus nonne testis est fuisse qui a ueteribus philosophis exemplum ita sumerent, ut Aristotelis haesitantiam linguae et Platonis incuruos umeros imitarentur (2)? pariter plurimi scriptores a se ipsi tamquam deficiebant et proprium ingenium exuebant ut alienum induerent : quo magis Dionis et Luciani rara atque eximia sapientia notanda est, quorum alter ad Xenophontis et Platonis rationem sermonem suum reuocauit, quippe qui res similes tractauissent et cum eo quadam ingenii cognatione coniuncti essent, alter, cum dialogum et comoediam consociare uellet, Platonem Xenophontem et atticos poetas comicos imitatus est, neque solum ueteris comoediae illos, sed etiam, quod Phrynichus inepte uetat, recentioris. Plerumque uero non ea in exemplum assumebantur quae cum scriptoris natura maxime congruerent aut ad efficienda quae opus erant conuenirent, sed illud propositum erat ut hic

(1) De ineptis Platonis Thucydidis Hyperidis imitatoribus uide Dionysium Halic., *de Din.* 8.

(2) *De aud. poet.* 7, 59.

alter Thucydides, ille alter Lysias diceretur. Nulla enim alia de causa Aristides a Platone et Demosthene, quorum et inter se et cum eo communia pauca sunt, copiam uerborum maximam repetiit nisi ut gloria rhetorum propria motus, praestantissimum philosophum et summum oratorem superaret, cum diuitias utriusque congereret. Cum ea quae legerat ostentare et arripere quisque uellet, uotorum compos erat postquam ab omnibus poematum aut solutae orationis generibus quam plurima nullo discrimine repetierat : inde oratio mira quaedam, in qua cum ad uulgarem inferioris aetatis dictionem eximia atticae linguae copia apposita sit, intuenti uenit in mentem operis cuiusdam uermiculati aut, ut Luciani comparationibus utar, uestis crassae cui adiuncti sint purpurei panni « late qui splendeant », puparumue quibus extrinsecus tantum caeruleus ruberue color pulchre inductus sit, cum intrinsecus argilla sit fragilis, postremo meretricis quae nitido et compto cultui studeat, Aesopiiue graculi.

Imitandi uero studium consentaneum erat minus ac minus coerceri posse et in seruitutem meram postremo abire. Quamdiu enim declamatio ex tempore dicta uiguit, necessarium fuit rhetores a dictione nimis erudita abstinere et operam dare ut ab hominibus quos alloquebantur intellegerentur. Itaque pauca tantum tamquam necessaria ornamenta e priscis scriptoribus imitando exprimebant, ut quasi melle attico sermonem temperarent : hanc Lucianus instituendo rhetori rationem indicat, cum eum doceat

oportere copiam quindecim aut uiginti atticorum uerborum semper praesto esse, quibus orationem ut floribus distinguat, nihil uero interesse utrum nominum cum rebus conuenientia sit necne, nihil, tunicam esse crassam, si modo pallium ab eo quod decet non aberret (1). Praeterea asiatico generi dicendi, quod in declamatione etiamnum uigebat, nimium atticae dictionis studium parum conueniebat : atticae enim consuetudini ipsi praestrigiae repugnabant : quae asiaticis rhetoribus res erat maximi momenti, incitata actio, ab aduenticia et accurata lingua abhorrebat. Vbi uero illud propositum erat ut declamatio ederetur et ad diuturnitatem non ad breue tempus conficeretur, aliter res erant, et, cum ea molirentur ac meditarentur quibus animi hominum uehementius mouerentur, atticae elegantiae consectatio non iam eo tantum numero esse sed praeter cetera ad id ualere ducebatur. Non enim multitudinis animi nunc erant mouendi sed paucorum uirorum doctorum qui in atticis litteris maxime et uersabantur et delectabantur. Ili uero cum politiores Graeci erant tum Romani illi optimates lingua utraque docti, qui illo tempore Athenas solebant conuenire ut in scholis sederent. Apud illos orbis terrarum dominos et pridem et illo imprimis tempore cum erat inopia praeclarorum scriptorum, eruditio et doctrina florebant. E Gellio accepimus tunc coepisse fieri inter cenam eruditas recitationes (2) et rhetores

(1) *Rhet. praec.* cap. 16.
(2) N. A. II, 22; IX, 9; XIX, 7.

grammaticosque qualibet occasione oblata de uerbis obsoletis uelut *praeterpropter* disceptare solitos esse (1). Etiam in palatii uestibulo ab expectantibus dum tempus salutandi T. Antonini uenisset, de ui nominis parum usitati, permultis auctoribus laudatis, disputabatur. Illud autem eruditorum temporum proprium est ut oratio obsoleta affectetur : uiri in summo honoris gradu collocati praeeunt, multitudo sequitur. Quemadmodum iam antea Tiberius (2) ita nunc Hadrianus et Antonini uerborum uetustati studebant non ut copiam latini sermonis augerent, sed labente recta consuetudine. Hadriano testis est Spartianus (3) Catonem magis placuisse quam Ciceronem, Ennium quam Vergilium, L. Caelium Antipatrum, qui Gracchorum aetate fuit, quam Sallustium, et in Graecis Platonem parum, Antimachum, qui tempore belli Peloponnesiaci fuit, magis quam Homerum (4). Et Plauti Ennii Laberii Caecilii studio, ut priscorum scriptorum, Fronto tenebatur, cum Lucani et Senecae, recentiore aetate natorum, culpa ei maior esse uideretur quam cui ignosci posset ; Marco Aurelio Antonino priscos nummos, id est Sallustium Plautum Ennium Naeuium Lucretium Accium (5), tamquam scriptores optimae notae probabat, cum noui multi essent adulterini. Ipse uero e libris, quos saepis-

(1) Id. II, 21; cf. IV, 1; XI, 3; XIX, 10.

(2) Cf. *Aug*. c. 86.

(3) C. 16, 6.

(4) Dio, 69, 4.

(5) *Ad M. Anton. de oration.*, p. 161.

sime et libentissime legebat, permulta uetusta assumpsit ; et Gellius et minus seruiliter Apuleius aetatis suae consuetudini obsecuti, uerbis obsoletis studuerunt. Etiam in cottidiano sermone multi priscas uoces affectabant, etsi eas non intellegebant, tamquam cursu rerum ita uecti, ut resistere non possent : et cum uellent morem dicendi qui increbruerat obseruare, fiebat ut cum matre regis Euandri, non cum aequalibus T. Antonini Pii colloqui uiderentur (1). Apud Graecos quoque fuerunt eodem tempore qui in confabulando prisca uocabula ambitiose usurparent (2). Sed ut insanum obsoleti sermonis studium utriusque populi illa aetate commune erat, ita romanam non graecam indolem redolet inepta illa ueterum imitatio in quam inde ab Herodis Attici tempore Graeci delapsi sunt.

Ad putidam illam Romanorum consectationem prisci sermonis haud immerito quidam (3) putauerunt pertinere agrestiorem atticarum litterarum instaurationem, a Dionysii sanitate abhorrentem et ad rerum ipsarum molestam imitationem derectam. Illi enim in apparatu obsoleto qui historiae fidei ac ueritati quam maxime responderet delectabantur et antiqua mensuris ac lineis describi uolebant. Nonne e Luciano accepimus studuisse tunc optimates Romanos ita graece loqui ut attico sermone emendatissimo et atticum thymum olente existimarentur uti et a se

(1) Gell. *N. A.* 17, 1.

(2) Lucian. *Demon.* 26.

(3) Cf. Lehrs, *populære Aufsætze*, 2 Aufl. S. 280 ; confer ea quae Zeller (*Philosophie der Griechen*, 3 Aufl. III, 1, 20) de philosophia graeca eodem modo a Romanis corrupta dicit.

omnes elegantis orationis studiosi exemplum caperent (1) ? Ipse Hadrianus limatas declamationes siue μελέτας scripsit (2) : in imperatoris aula cum philosophia et astrologia tum ars rhetorum et grammaticorum uigebat, neque obliuiscendum est Commodo Phrynichi *Praeparationem sophisticam* et Pollucis Onomasticon dicata esse. Hoc ineptiarum pretio Graeci gratiam rependerunt qua litterae graecae apud Romanos illo tempore plurimum ualuerunt. Cum Romanos auditores aut lectores spectarent, uerba non res ueterum consectati sunt et uestigiis eorum sibi utique insistendum putauerunt : lexica confecerunt et studiosissime euoluerunt non prospecta scientiae peruestigatione sed ob usum linguae in scribendo in habenda oratione in loquendo praebendum, non ut Ægyptiorum aut Nubarum male graece sed ut graecorum uirorum doctorum male attice loquentium sermo emendaretur. Grauissimum uitium non illud fuit usurpare uocabula sono et significatione parum idonea sed ponere γαλέα pro γαλῆ, ἀλεκτορίς pro ἀλεκτρυών siue gallus siue gallina dicenda erat, neque licuit nisi illitterato nescire qua re κόπτειν, quod de pulsando ostio usurpatur, a ψοφεῖν discernendum esset (3). Rursus summam legentibus admirationem consentaneum erat mouere titulos illos quos Herodes Atticus in honorem amissae uxoris eisdem litteris et eadem scriptura quibus attici antiquissimorum temporum exarati erant incidi iussit (4).

(1) Luc. *de merc. cond.* cap. 55.
(2) Phot. *cod.* 100.
(3) Phryn. Rutherf. p. 266.
(4) Cf. S. Reinach, *Traité d'épigr. gr.* p. 164.

Ille Caesarum Marci et Veri praeceptor, quem T. Antoninus summa beneuolentia coluit et consulem fecit, rhetores uoluit atticae consuetudini dicendi quam accuratissime studere, et cum declamationes posse ex tempore dicere tum omnibus doctrinae armis instructos in sermone diligentissime elaborare (1). Nouerat enim eruditissima quaeque et imperatori comitibusque eius et romanis proceribus maxime probari, quo patrocinio fretus uiam ingressus est, qua ars sophistarum ad dominationem litterarum graecarum peruenit ; iam singula studiorum genera sophisticae consuetudini paruerunt et ad eam puerorum institutio reuocata est. Summa rei fuit ut a sophistarum arte siue in historia siue in philosophia populari siue in poematis siue in ceteris rebus uirtus illa peteretur, qua atticorum scriptorum optimorum prisca opera renouari uiderentur, atque docti et intellegentes elegantiae aestimatores in restituto sermonis nitore delectarentur. Ad illam Herodis Attici rationem pertinuit disciplina atque consuetudo Aristidis Philostrati Aeliani et aliorum sophistarum permultorum. Ad illam referenda est oratio illa putida quam Phrynichus ceteris comparandam curauit, lingua a uetustate molestissime repetita et ad eruditos coetus facta, genus dicendi insolentia uerba aut aliquos compositionis raros pedes consectans, postremo sermo tam seruiliter quaesitus et assumptus ut scriptores illi nihil uiderentur habere nisi quod deberent aliis.

(1) Ἐκπονῆσαι λόγον, ut ait Philostratus *Vit. Soph.* 72, 19.

Non enim solum Herodes praecepit ut sophistae atticam consuetudinem dicendi sibi sumerent, sed etiam ut in uetustioris scriptoris alicuius proprio sermonis habitu quam diligentissima imitatione exprimendo summam laudem ponerent. Ipse exemplum a Critia cepit eiusque colorem orationis peculiarem reddere studuit. Eadem ratione Thucydidem et Xenophontem Arrianus, Platonem et Xenophontem Aelianus, Demosthenem Platonem Xenophontem Thucydidem Aristides secutus est. Fuit hoc solum scriptorum aetate posteriorum proprium ut alii ab alio auctore exemplum sibi peterent : apud eos uero mirum quantum desideratur illud ipsum quod est cuiusque suum maxime, illa iucunditas qua in ueteribus summopere tenemur. Hi enim, quemadmodum iam significaui, legentes proprio orationis habitu imprimis delectant : libertatem suam non sunt coartari passi nisi temporis sui finibus, ne a consuetudine omnium neu a pulchritudinis specie quam intuebantur recederent. Est sane omnium communis color, cum et apud politiores homines eiusdem ciuitatis sermo quidam ad uniuersos temporis et populi mores conformari soleat, et in potissimis quibusque litterarum partibus certum orationis genus eodem modo constituatur : quale, quod ad eloquentiam spectat, in Isocrate maxime expressum apparet et ad quasdam artis rhetoricae leges ita exactum est ut scriptores quarti ante Chr. n. saeculi, cum alii alios mouerent, similiores inter se facti sint. Sed ut hae sunt omnino rationes ad quas omnis oratio necessario pertinet, ita

harum legum nulla fuit apud Atticos duritia, et, cum artissimo uinculo cum ciuitatis et aetatis suae consuetudine coniuncti et consociati essent, tamen singulorum natura et indoles liberrime eluxit : nec quicquam magis iuuat quam ex ipso genere dicendi, quo utitur, cognoscere atque admirari et Thucydidis ingenium cum abruptum tum acutum, cum breuitatis studiosum tum multiplex, cum forte tum subtile, et Lysiae ita pressum ut « si ex eo uerbum aliquod demas mutesue atque id commodatissime facias, de sententia tamen detraxeris » (1) ; et Platonis in quo uenustas et grauitas, simplicitas cum neruis, quaedam poetis proxima et uerbis altissime exaggerata atque inflata sed modo seruato et integra sanitate ; memorem Demosthenis lacertos et mentis uim incitatiorem, ut quasi ardor pugnae oratoriae in foro commissae referatur, et purum sermonem limae domestico labore perfectum ? Xenophontis pellucidam et simplicem dictionem, distincte concisam breuitatem, et dicendi genus nunc parum ex disciplina neglegens, quale ueterem militem decet, nunc, cum in suum animum intrat, praestantissimis oratoribus aequum (2) ? Posteriores uero aetate scriptores necesse erat seruilis imitationis uinculis constrictos omnem sucum sermonis et iucunditatem amittere. Nihil enim orationi proprie fingendae tantum repugnat quantum quaesitus et longe repetitus sermo. Quemadmodum leges

(1) Haec Fauorinus apud Gellium II, 5.

(2) Cf. quae Quintilianus (10, 1, 73-84) de graecis siue historicis siue oratoribus eximie dicit.

linguae alicuius ex ipsa hominum qui ea utuntur indole expressae doctum scriptorem non impediunt sed adiuuant, ita oratio perit cum uigent aduenticiae locutionis studia, cumque is qui scribit censorem timet et in unoquoque uerbo circumspicit num sit apud Thucydidem Xenophontemue : qualem Athenaeus quendam inducit, cui cognomen Κειτούκειτος facete datum erat, quia nullum inter cenam cibum sumere audebat quin secum quaereret κεῖται ἢ οὐ κεῖται ? Adspice Aristidem qui, cum Demosthenem mentiatur, uidetur pumilio esse gigantis armis instructus et memoriam apologi refert in quo ranula dicitur uoluisse bouem corporis amplitudine assequi. Illius aetatis oratio nescio quid sonat absurdum et inane : homines quaerimus neque fere inuenimus nisi scriptores. Probatissimorum inter ueteres personam induebant, cum, spatio sescentorum annorum interposito, mores pridem euanuissent in quibus oratio praeclarissima continebatur. Specie quidem res ita erant ut putare possent se a ueteribus acceptam hereditatem integram seruauisse. Dii enim eodem ritu quo priscis temporibus etiamnum plurimis locis colebantur ; Eleusinia mysteria ut ante florebant, oracula dabantur, ciues in gymnasio uel theatro uersabantur et in luce atque oculis hominum uitam agebant : statuas in foro et in templis erectas Polemo, Herodes Atticus, Aristides pariter atque abhinc sex saecula Demosthenes Xenophon conspicere poterant et iudicia eodem nomine appellata audire. Verum hae reliquiae inanes erant : rerum antiquarum quasi corpus

supererat, cui uitam reddere Graecis per aduersam temporum condicionem non licebat. Permultum enim intererat inter horum fortunam et opportunissimam illam ueterum quam supra dixi : libertas exstincta, nulla fere forensi et ciuili orationi occasio oblata, eloquentia ad pompam solam et ad oblectanda otia descendens, non iam graecarum sed romanarum modo rerum memoria tradenda, iudicium ira aut studio corruptum, saepius metu compressum, lectorum genere romanorum, disciplina uero graecorum ratio uoluntasque et sentiendi et dicendi respicienda omnia collapsa erant, eaque desiderabantur, quibus absentibus non possunt gentis alicuius mores ac disciplina uehementer moueri atque impelli. Cum igitur scriptores non inflammatione animi penitus commoti tamquam ui urgente dicere proprie cogerentur, malebant dicere non proprie quam non ornate.

Itaque non solum uerborum a uetustate repetitorum et probatorum copia composita est, ut iuuante eruditione oratio e lexicis eliceretur certa fide attica, sed etiam rationes fuerunt conficiendi sermonis prout animus lectorum uel auditorum erat afficiendus : fuerunt praecepta de quoque orationis habitu, de perspicuitate et sinceritate, ubertate et sublimitate, grauitate et simplicitate, subtilitate et uenustate. Scriptores enim illius aetatis in hunc errorem inciderunt ut putarent non ad rationem initam ea pertinere quae in animo siue audientium siue legentium efficerentur sed ex contrario rationis ineundae causam ad ea quae efficienda essent pertinere : cum oporteret

uerbis mentem inicere, ab elocutione concitationem mentis petiuerunt. Vt Phrynichi liber ad uerba melioris notae paranda, ita ad conficiendum dicendi genus, quod opus erat, spectabant Aristidis in summarii modum scripta de oratoria arte praecepta: uterque igitur pestem istam, enchiridion quod dicitur, induxit siue libellos de dicendi genere elaboratos quibus utentes administris scriptores habitum orationis quem uolebant exprimere dicendo poterant. Aristides simplex genus dicendi siue λόγον ἀφελῆ oratorio dicendi generi ita opposuit ut alterius exemplum a Xenophonte, cuius sermo lenis ad linguam qua utuntur omnes re uerbisque propius accedit, capiendum putaret, alterius a Demosthene, in quo omnia insunt quae in oratione ad ciuium utilitatem spectante postulantur. Quid illa sophistarum oratio quae Milesiae imaginem praestabat? Cum declamationum apparatus iam minus placeret, et alia excogitanda essent quibus animi mouerentur, mixtura quaedam composita est quae ex tertia parte Herodotea, ut orationi color candidus induceretur, ex tertia parte Xenophontea, ut attica dialectus necessaria praeberetur, ex tertia parte Platonica constabat, ut morum formandorum scientia assumeretur: omnia haec ita permiscenda et copulanda erant ut genus dicendi ἀφέλεια quod uocabatur efficerent. Et suauitatis siue γλυκύτητος id erat proprium ut insolens oratio usurparetur, καινοπρεπέσι ἀπαγγελίαις (δεῖ) χρῆσθαι. Notandum illud quoque, rhetorem Menandrum, qui Aristidem secutus est, praecepisse ut ea oratio quae declamationem ipsam

antecedebat et λαλιά uel διάλεξις dicebatur, nullum ordinem seruaret, immo ordinem, qui in ceteris orationibus praeualuit, constanti ratione uiolaret (1). Ad hanc disciplinam Aelianus genus dicendi quo usus est ita reuocauit ut, cum id simplex esse uellet, nec rite componenda uerba nec ad normam ordinandas sententias curaret. Sed perturbatio rerum, cum dedita opera fit, non iam naturalem efficit dictionem. Risum mouent illae ineptiae quemadmodum hac aetate mos eorum insolitus qui, ut animos acriter percutiant, legi grammaticae obsequi nolunt, uerba antiquitus coniuncta dissoluunt, eademque ratione alia ad alia apponunt qua pictor colores tabulae ita inducit ut toni inter se concilientur et repugnent. Quam molestum est uires ingenii, quas multi ex illis sophistis non exiguas habebant, in hoc operoso studio, quod de se ipsi praedicabant, consumptas esse, ut exploratis antiquis litteris graecis deprehenderetur ratio quam ineuntes singula dicendi genera singulos orationis habitus consequi possent! Vicem dolemus et auditorum quos oratio ex omnibus dicendi ueneribus mixta et temperata stupidos ac silentes defigebat, et oratoris qui, cum oportere existimaret in quoque orationis loco hominum animos nunc leuiter nunc acriter nunc alio modo moueri, artis praecepta consulebat quam uiam ingrederetur, ut ea efficeret quae opus erant, et acerrimo illo labore conficiebatur (2).

(1) Cf. Spengel, *Rhet. gr.* III, p. 391.

(2) Cf. Aristid., *περὶ τοῦ παραφθέγματος*, t. II, p. 393.

CAPVT QVARTVM

QVA RATIONE GRAMMATICI ET RHETORES, CVM LINGVAM DEPRAVANTIBVS ET ORATIONEM NEGLEGENTIBVS MERITO REPVGNAVERINT, TAMEN AB EO QVOD DECEBAT ABERRAVERINT.

Quam inani discrimine ciuilis oratio (πολιτικὸς λόγος) a simplici oratione (ἀφελὴς λόγος) ab Aristide diducta est ! Non sunt inter se diuersa oratorium et simplex genera dicendi, sed sententia nunc oratoria nunc tenuis est et simplex : genus autem dicendi sententiam sequitur ; cum ea fit graue aut subtile, neque ideo desinit esse simplex, cum in ipsa uerborum cum sententiis maxima conuenientia simplicitas sita sit. Demosthenes quidem non eodem modo simplex est atque Xenophon aut Lysias, neque Euclides pariter ac Sophocles aut Aristoteles ; sed haec omnium communis uirtus, ut ea quae sentiunt uocabulis aptissimis dicant. Hanc supra dictum est fuisse omnino Atticorum praestantiam, quibus omne quod est superuacaneum turgidum putidum maxime repugnabat. Aristides, primis ultima praeponens docuit qua uia et ratione scriptores oratorium aut simplex dicendi genus ex Demosthene aut Xenophonte imitando exprimere possent. Vnum uero illud erat

notandum utrumque ea quae sentiebat singula dixisse quemadmodum sentiebat, quae est omnis orationis summa laus. Suasit idem Aristides, efficiendae suauitatis (γλυκύτητος) causa, ut in pingendis oratione urbibus res minimae narrarentur, ut diceretur quam lata flumina essent atque unde orerentur, ut sententiae multiplici particularum καίτοι, καὶ μήν, ἀλλὰ τοίνυν, ἀλλὰ μήν coniunctione conecterentur, translationes usurparentur et magna paruis uerbis, parua magnis dicerentur (τὰ μεγάλα μικρῶς λέγειν, τὰ δὲ μικρὰ μεγάλως). Verum summa suauitas est, rationes quibus ea efficitur a legentibus non animaduerti, quemadmodum optimi scriptores eas non re consulta et opera dedita ineunt. Demosthene Lysia Xenophonte propter id ipsum delectamur quod ea quae dicenda habebant nobis uidentur non alio modo dici potuisse quam quo dixerunt. Horum elocutionem sentimus eam esse quae decebat sola, immo quae necessaria erat. Apud eos translationes ita cum rebus congruunt ut uix cognoscantur et nos similiter moueant ac si proprie dictum esset : ita et ipsae sententia postulantur ut sublatis eis mens aut animus aliquid desideret. Haec igitur ab illis una et maxima norma repetenda erat, ut scriptores cogitationes quas animo informauerant reddederent quo modo informauerant, inania et superuacanea uitarent et uim orationis aut splendorem aut impetum non arbitrarentur nisi uerbis simplicibus et propriis et nudis, translationibus quam minime receptis, effici et efferri.

Ad hanc rationem quae omni alia potior habenda

est, aequum erat dicendi genus Asiaticorum proprium (1) reuocari et nimiam illam orationis luxuriam attica disciplina temperari. His enim cum actio scaenae placeret ab atticae dictionis sanitate plurimum recesserunt et orationem dicendi luminibus insignius ornatam affectauerunt : ornamenta non iam quia res flagitabat adhibuerunt, sed propter ipsa consectati sunt, ut audientium animos ad tempus mouerent. Hanc nimium depictam elocutionem Dionysius Halicarnassensis iure meritoque impugnauit, cum moderationem et prudentiam suaderet (2) atque Lysiae continentiam laudaret (3). Et Lucianus uerborum ac sententiarum conformationes permisit sed ita ne ampullae fierent et oratio floribus nimis conspergeretur, neu cibi nimis acris acutique similis esset (4). Cui praecepto plerumque ipse paruit cum translationes apud eum cogitationem absoluere et perficere soleant : quo fit ut quaedam similitudo inter eum et Platonem intercedat, utroque et menti lumen praeferente et animum apte conuenienterque commouente, simulque Luciani orationi uiuidus et quasi popularis color accedat, cum populus figuris et prouerbiis libentissime uti soleat. Iam uero Lucianum rhetorum disciplina instructum esse manifestum est ex comparationum et translationum redundantia quae nonnumquam molesta

(1) Cf. Cic. *Brut.* 51. 325 ; *de opt. gen. or.* 8. *Or.* 25, et Rohde, *Rh. M.* XLI, p. 172.

(2) *De comp. verb.* 23.

(3) *De Lys.* 3.

(4) *Quom. hist scr.* cap. 44.

est (1). Aristides uero docuit esse cum figurarum rationem inire oporteret, uelut ad efficienda ea quae sunt σφοδρότης, ἐπιμέλεια, γλυκύτης, ἀφέλεια. Eam autem orationem simplex (ἀφελής) quae uocatur cum Aelianus consectatus sit, uerborum immutatione ad satietatem usus est et adipatum dicendi genus ita usurpauit ut nerui deficiant et sanguis. Etiam ii qui a sermone putide emendando abhorrebant, ornata sophistarum dictione delectati sunt, uelut Maximus Tyrius qui dixit : κατὰ τὸν ἐν Διονύσου ποιητήν pro κατὰ τὸν κωμικόν (2), et Heliodorum constat translationibus usum esse audacissimis. Rhetorum enim proprium est illud orationis nitorem figuris siue splendidis siue lepidis augendi studium, cum id imprimis scribentes agant ut dicantur bene scribere.

Ad eandem atticae dictionis simplicitatem et salubritatem decebat philosophorum quoque dicendi genus reduci, qui artificiosam et diligentem linguae tractationem parum curabant rerumque nimio studio uerba neglegebant. Epicurus enim, cum extra Athenas Sami et Tei institutus esset, in patria lingua imperite uersatus est et multa siue uitiosa siue plebeii sermonis propria in sermonem suum recepit : non quo, si modo uellet, non posset electissimis uerbis ornare orationem (3). Et Zeno, Cypri natus in insula quae hominum graecorum et Phœnicum multitudine inco-

(1) Cf. *Nigrinus*, 3 ; 5 ; 4 ; 35.
(2) Bergk, *Griech. Litteraturg.* IV Bd, p. 552, n. 48.
(3) Cf. Vsener, *Epicurea*, p. XLI et 88-90.

lebatur, « fuit ignobilis uerborum opifex » (1), et rectam consuetudinem Graecorum in uocabulis adhibendis perfregit : cuius sermonem ceteri Stoici, plerique semibarbari, adsciuerunt, et illo dicendi genere usi sunt fusiore et insulso, dialecticarum formularum molesta copia deprauato et saepius parum perspicuo, quale est Chrysippi, qui se elocutionem obscuram et austeram et mendosam aequo animo ferre dixit (2).

Neque historici, aetate Alexandrina quae dicitur, idoneam in uerba siue eligenda siue componenda curam contulerunt : propter quae orationis uitia Dionysius dicit (3) eorum scripta pellegi non posse. Duris enim Samius, cum ad legentium delectationem spectaret, non uocabulorum delectum numerumque curabat sed accuratam diligentiam minus ad se pertinere arbitrabatur, si modo ea assequeretur quibus animi uehementius commouerentur. Eadem fuit Phylarchi ratio, cuius oratio mentis incitatione magis quam prudentia et moderatione erat notanda et cum nimio splendore tum uitiosis conclusionibus reprehendenda (4).

Ipsius Polybii orationem iam dixi saepius sine causa redundare et inanium formularum usu eneruari. Perspicuitatem enim magis consectatus est quam elegantiam, et, cum optimis scriptoribus atticis usus esset magistris, tamen, siue quia diu peregrinatus

(1) Cic. *Tusc.* V, 11, 43.
(2) Cf. Plut. *Stoic. rep.* 28. 1047 B.
(3) *De comp. uerb.* 4.
(4) Cf. Phrynichus Lob., p. 425.

erat, siue quia a facto dicendi genere rhetorum abhorrebat, linguam mutantibus et corrumpentibus non satis obluctatus est, neque ad aliam legem uidetur elocutionem suam conformauisse, nisi ut ne hiaret. Quod uero ad uerborum delectum attinet, ita ab Atticorum consuetudine desciuit ut ei sordida nomina non minus quam poetarum propria probarentur.

Phrynicho iniuriam facerem si non confiterer eum merito et Phylarchi et Chrysippi auctoritatem in suspicionem adduxisse, et scriptores noluisse a soluta oratione ipsa digredi : quamquam minus sibi constat quam Moeris, qui tres praestantissimos poetas tragicos ab illo receptos numquam laudat. Is uero *Antiatticista* qui uocatur utrumque genus dicendi perperam commiscuit, cum uincula linguae graecae a Phrynicho imposita ita aegre tulerit, ut et Homerum et lyricos et tragicos et comicos poetas auctores scribentibus probari uoluerit et effecerit ut libertas in uitium abiret. Non enim sententiae utilitati, ut quae primario loco sit, inseruientes sophistae ius sibi uindicabant a poetis furandi, sed studio moti ea ostentandi quae plurima legerant. Non igitur mirum est permulta poetarum propria cum uerbis prosae orationis mixta reperiri apud Polemonem Philostratum Aelianum Himerium, quoniam sophistae poemata in artis rhetoricae fines trahere uolebant et disciplinam suam omni alia potiorem esse profitebantur.

Neque minus iis repugnandum erat qui linguae uulgaris et orationis qua scriptores utuntur discrimen non seruabant. Cynicis enim peruulgatum est rationem

dicendi ita constitisse ut res uel dictu turpissimas sine fuco et fallaciis proprio nomine appellarent. Felis profecto est dicenda felis, neque quidquam tam ridiculum est quam sophistarum insulsitas quos Plutarchus dicit (1) uel de uilibus rebus non loqui nisi ornamentis lenociniisque orationis cumulatis. Sed uulgaria uerba usurpanti necessarium est iudicium : cauendum est ne quid inopinatum indecorum intempestiuum in orationem immittatur; seruandus est dictionis color et summae huic legi parendum ut omnia proprie dicantur. Merito quidem Phrynichus sensit uerba esse alia elatiora alia humiliora, sed falso opinatus est sordida esse ea quae non in libris optimae notae reperiuntur, quae cottidianum munus obeunt et rebus ipsis proxima sunt. Ignorauit in ipsis uocibus quas singulis diebus homines in rebus priuatis ac domesticis usurpabant inesse uim tantam, ut ea quibus animus commouebatur aut quae mens percipiebat uel grauissima possent dicere : non intellexit etiam uulgi uocabulis in quibus, cum humiliter sentiat, est quiddam horridum et iuconditum, posse ad elata et grauia translatis quendam decorem accedere, asperitate exuta seruatis uero lacertis. Quanto melius de hac re Quintilianus (2) iudicauit, cum dixerit : « Omnibus fere uerbis praeter pauca, quae sunt parum uerecunda, in oratione locus est..... Omnia uerba, exceptis de quibus dixi, sunt alicubi optima ;

(1) *Mor.* p. 408, C.
(2) *Int. or.* X. I, 9.

nam et humilibus interim et uulgaribus est opus, et quae nitidiore in parte uidentur sordida, ubi res poscit, proprie dicuntur » (1). Etiam illud rectius est nulla non posse uerba recte usurpari, si modo linguam in potestate tua ita habeas ut quaeque definite et apte dicas : ipsam rerum grauitatem apud praestantissimos scriptores qui a falsa uerecundia abhorrent et praecepta non tamquam iussi sequuntur, constat uocabula uel plebeii sermonis saepius consequi.

Quam recte Lucianus eos qui sermonem malebant quo ante sexentos annos homines locuti erant quam quo tum loquebantur, admonuit institores et propolas graece melius scire quam rhetores qui grammatice dicebant ! Iam Plato populum praedicauerat suum dicendi magistrum et, recentiore aetate, ut Malherbium taceam, iam Ramus ille initio grammaticae suae professus erat populum linguae dominum esse, et sermonis disciplinam non in Vniuersitate Parisiaca ab hebraeis graecis latinis doctoribus tradi sed in foro a uulgo. Populus enim ea quae dicit non penitus perspecta planeque cognita dicit, sed nulla re interiecta statim intuetur et proxima cum proximis felicissima ingenii celeritate coniungit : quo fit ut nonnulla fortuiti boni nanciscatur profecto non spernenda.

Praestantissimus est dicendi effector, praeclara eius facultas fingendi, neque ex alio fonte poetarum multa repetenda sunt. Populus uero linguam conseruat maxime et tuetur, cum nemini rei a maioribus

(1) *Inst. Or.*, X, 1, 9.

acceptae custodia possit tutius credi quam multitudini hominum. Vetusta quaedam uerba, postquam in litteris desita sunt usurpari, tamen in populi sermone permanent et serius ocius ab aliquo scriptore iterum recipiuntur. Nusquam uero fortasse lingua fidelius seruata est quam apud Graecos : hodieque uoces in dialectis reperiuntur ab ultima antiquitate repetitae (1).

Haec uulgaris lingua fons erat unde uis uigorque de integro hauriri poterat. Non enim cum eis facio qui dicunt graecum sermonem uulgarem fuisse tunc turpiorem quam ut ex eo aliquid ad litteras utile exprimi posset. Quo iure asseueratur aliquam linguam non ad alium usum idoneam esse quam qui in consuetudinem uenerit? Immo illud ipsum ingenii et inuentionis proprium est illam opinionem redarguere et contrariae huic fidem facere, posse spretum immerito sermonem a praestantissimo scriptore ad ea accommodari quae opus sunt in studiis litterarum. Quantum detrimentum litterae accepissent si

(1) Doctissimus collega meus H. Lechat, francogallicae quae est Athenis scholae olim alumnus, haec mihi tradidit digna quae notentur : Therae audiuit nauiculae gubernatorem quendam et rudem nautam qui politum sermonen minime iactaret, utentem uerbo εἱλικρινῶς; Leri audiuit urbis praefectum usurpantem uocabulum χαμαί ut rusticum quendam aliquid humi ponere iuberet; postremo certiorem me fecit esse Calymnae locum qui δᾶμος dicatur, cum insula antiquis temporibus dorica fuerit. Cf. Egger qui in *Mem. Soc. ling.* I p. 6 nomen Βουνάρι ab Homero repetit uerbum γουνός ita usurpante ut montem significet. Constat utique uerbo βουνός quod Phrynichus ut non atticum reicit, poetam comicum Philemonem usum esse, et adiectiuo Aeschylum in Βοῦνις γῆ (*Suppl.* 117. 129. 176).

praeclarissimus ille Diuinae Comoediae scriptor, patriam linguam dedignatus, uersibus latinis poemata condidisset, quemadmodum prius cogitauerat! Quantum quoque, si Atticus Thucydides perrexisset ionica dialecto uti praeeuntem Doriensem Herodotum secutus, et sollemnem historicorum sermonem patriae linguae praetulisset! Iam hac aetate non defuerunt qui graecam linguam uulgarem non solum ad historiam profanam et sacram narrandam, ad praecepta de moribus tradenda, ad res fictas memorandas, sed etiam ad eruditionem et doctrinam idoneam esse etiam re confirmauerint (1).

Vt enim tanti est ager quanti qui eum colit, ita tanti est lingua quanti qui ea loquitur aut scribit. Inter scriptorem et linguam similis ratio intercedit atque inter neruos tibiamque et eum qui fidibus et tibia canit. Multum abest ut excellentia scriptorum aut mediocritas in lingua proprie positae sint. Immo continentur cum in hominum ingenio tum in temporum opportunitate aut malignitate. Lingua quidem sententiae dat formam maxime sibi cognatam, sed ipsa rursus ad sententiam derigitur et conformatur. Cum uero orationis summa laus sit, ut uerba cum rebus congruant, contra hanc legem non linguae sed dicentis culpa peccatur. Quam congruentiam solent consequi aut populus qui naturali sensu patrium sermonem usurpat aut praestantissimi scriptores, quibus per-

(1) Recte G. Meyer dicit Graecis qui nunc sunt non posse linguam esse ad litteras idoneam nisi a populi dialectis ductam (*Essays u. Studien zur Sprachgeschichte*, Berlin 1885, p. 111-112).

fectissimae artis praesidio erroris immunitas tantum non praestatur. Sed arte opus est non putido quodam ac molesto artificio. Atticistae qui dicuntur eo errauerunt quod in attico sermone existimauerunt inesse occultam quandam uim et paene diuinam, quemadmodum alii summam dignitatem in titulis et imaginibus esse arbitrantur. Immo nulla est praestantia nisi eorum qui opibus omnium communibus egregie et instructi sunt et utuntur, qui optime res cogitatione amplectuntur et animo sentiunt et mente percipiunt, qui linguam, quam omnes eodem tempore adhibent, ita usurpant, ut ei sola uocabulorum et sententiarum conuenientia uirtutem impertiant quae est ipsorum propria.

Sed non primo impetu fit linguae absolutio et perfectio. Atticarum non graecarum litterarum spatium decursum erat. Atticus sermo, in quo tum graeca lingua communis continebatur, non in pristinum splendorem frustra restituendus erat sed quasi nouo afflatu concitandus et renouandus proprioque quodam uberi suco denuo alendus. Legitimum erat eum ad temporum rationem traduci quorum consuetudinem cogitandi et sentiendi imitando exprimere debebat. Non e sepulcro neque e libris uita repetenda erat sed e rebus ipsis hominum. Non e memoriae recessu quodam asciscenda erat lingua ueterum frigida et tristis, sed ab ingenio locupletissima rerum copia ornato lingua feruida et integra. Vtinam non dico potuissent (uires enim ingenii nequaquam exhaustae erant), sed robore animi ita ualuissent Graeci inferioris aetatis ut uellent

uita sua uiuere et suae dignitatis sibi conscii esse atque litterarum uiam ingredi magnam et liberam. Vellem eos non irrito praeteriti temporis desiderio confectos esse sed se excussisse atque in se inquisiuisse ratos eximias mentis uirtutes non tamquam doctrinam aliquam aut rerum gestarum memoriam a maioribus cum lingua propagatas posteris transmitti, sed reparari continuo et de integro instaurari, natura perpetuos sumptus liberalius aut parcius suppeditante. Plurimum profuisset, si in ueteres non ita se gratos praestitissent ut beneficio iis qui contulerant tamquam uinculo obligati essent, ut in seruilem imitationem inclinati non conarentur alias res eruere, si ex infinita rerum humanarum uarietate intellexissent posse nasci infinitas opes et facultates quarum copiam linguae facerent. Tunc initio instaurandarum optimarum artium a rebus ducto, graecus sermo communis paulatim non alienis neque aduenticiis sed suis incrementis adoleuisset: oratio continenti labore atque animi contentione melius quam eruditis libellis magis ac magis perpolita et perfecta esset. Non Castalia aut Hippocrene altera saluisset, sed fortasse aliqui fons uiuidus unde potus noui haurirentur. Post Theocritum poetam quaerimus et uidemus rhetores condidisse Scopelianum Gigantomachiam, Isagoram poema tragicum (1), Hippodromum (2) et Aristidem (3) melicos uersus, ne Pancratem et Mesomedem Cretensem dicam qui Hadriano

(1) Philostr. *Vit. Soph.* 95, 1.
(2) Id. 120, 2.
(3) Aristid. XXV, p. 489, 548.

gratiosissimi Antinoi laudes carmine cecinerunt, pro quo alteri praemium datum, deinde monumentum exstructum est a Caracalla.

Idyllium quoque ab attico sermone alienum sed ea lingua scriptum, qua tunc utebantur homines, optatius nobis acceptiusque esset. Neque Demosthenes alter fuisset, cum non iam in forensi luce patriam aut libertatem tueri et multitudinis animos commouere atque incendere sed quasi occlusis foribus ciuium controuersias componere et reos defendere oporteret. Verum non ex sola rerum antiquarum memoria argumenta sumi poterant quae ornate explicarentur. Quid ad nos illae Aristidis de pace inter Athenienses et Spartanos post res ad Pylum gestas concilianda duae in contrarias partes habitae orationes, duae pariter de subsidiis ad Niciam sub initium siculae expeditionis mittendis, quinque item de societate Atheniensium cum Thebanis post Leuctricam pugnam facienda, quibus addendus est Panathenaicus ille sermo, in quo tantum sibi sumpsit, ut Isocratis opus praeclarissimum iteraret. Quid illae Polemonis orationes, Demosthene culpam quinquagenta talentum a Magno Rege acceptorum propulsante, Xenophonte pro Socrate morti ultro se offerente, Solone aduersus Pisistratum dicente, et duae illae quae cum eius pernicie seruatae sunt, in utramque partem disputatae, cum in altera Cynegiri pater filium suum mortem forti uiro dignissimam obiisse contendat, in altera Callimachum filium post plura sed minus fortia facinora pater dicat interfectum esse. Quin res aetatis suae potius dixe-

runt? Nonne poterant sophistae pro ciuitate sua Maecenatum et arbitrorum concordiae et patronorum munus coram imperatoribus obire, cum legationes undique ad terrarum dominum, sophistis ducibus, mitterentur, et Polemoni acceperimus mandatum esse ut pro Smyrnaeis uerba apud T. Antoninum faceret (1)? Quin omnibus rebus quae illo tempore gerebantur ita se immiscuerunt ut nihil putarent ad se non attinere? Erat tum et in philosophia et in grammatica et in mathematicis et in rerum naturalium doctrina maxima mentis commotio. Erant controuersiae inter Porticum et Academiam et Lyceum et Cynicos et Epicureos acerrimae; plurimi cognitioni uirtutis studebant (2). Caluisio Tauro traditum est discipulos qui Platonem ita legebant ut elegantius dicerent non ut meliores fierent, probatos non fuisse; idem Gellio suasit locum ex conuiuio Platonis pulcherrimum cum eo una legenti ut oculis in uerborum comprehensionem obiter coniectis, in sacrarium Platonis quamprimum ingrederetur, id est sententiarum uim et grauitatem penitus peruestigaret, neu uocabulorum suauitati orationisque elegantiae immoraretur (3). Iunio uero Rustico imperator Marcus Aurelius gratias egit quod ab eo deterritus erat ne falsas sophistarum rationes sequeretur, ne oratiunculas tantum ad plau-

(1) Philostr. *Vit. Soph.* I, XXV, 19.

(2) Non licuit nisi rhetori Aristidi Antisthenis discipulos merito despicienti totam philosophiam in eandem contemptionem adducere.

(3) Gell. *N. att.* I, 9; XVII, 20.

sus spectantes declamaret, ne uiris nimis loquacibus temere assentiretur (1) : praeclarum quidem illud beneficium praeceptor stoicus in discipulum suum contulerat, cum effecisset ut molestiarum et quaesiti leporis uitio liberaretur, quo eum antea allectum esse ex epistulis Frontonis apparet. Postremo non obliuiscendum est illa aetate fuisse Claudium Ptolemaeum Alexandrinum et Pergamenum medicum Galenum et duos illos grammaticae artis non ad utilitatem pertinentis inuestigatores praeclarissimos, Apollonium eiusque filium Herodianum. Ea erant profecto tempora quibus mente uehementer concitata et hominibus in litteris studiosissime uersantibus lingua poterat a consuetudine loquendi omnium communi ita duci ut firmissimis nutrimentis e rebus illius aetatis petitis colorata et roborata ad elegantiam quam maxime reuocaretur. Valde mihi placet ille Philagrus quem Philostratus (2) memorat, cum uerbum peregrinum usurpasset, Amphicli Herodis Attici discipulo interroganti apud quem probatorum scriptorum illud reperiretur magno animo respondisse « apud Philagrum ». Oportet enim scribentibus praesto esse omnia linguae uocabula neque ulla uetari, si modo sententia postulentur. Nonne in ipso Atticorum imprimis Xenophontis sermone ionica fuerunt et dorica multa idiomata (3) ? Quid mirum apud Polybium uocabula militaria esse

(1) M. Aurel. 1, 17.

(2) *Vit. Soph.* 84, 11.

(3) Cf. Blass, *Att. Beredsamk.* II[e] Abtheil. 2 Aufl. p. 477, et Phryn. Lob. p. 638.

magnam partem e macedonica dialecto petita, uel latina, ad ea significanda quae Graeci antea ne nomine quidem nouerant? Nimia uerecundia erat uelle etiam magistratuum romanorum nomina graeca uoce reddere (1) : cum δικτάτωρ recepissent, cur cetera non probata essent? προστάτης uocabulum, quo nonnumquam usi sunt pro eo quod est latine *patronus*, non idem ualet : praestabat dicere quemadmodum in titulis quibusdam legitur ὑπὲρ τῆς τοῦ πάτρωνος σωτηρίας (2), τὸν ἑαυτοῦ πάτρωνα (3). Etiam barbara uerba Galenus uolebat, si modo perspicuitas integra esset, licere usurpari : nomina enim prohibere idem est ac notiones prohibere : praeterierant tempora quibus Graeci barbaris superbe sed non sine causa opponebantur, et uocabula peregrina fere nemo recipiebat praeter Hipponactem qui Lydia usurpauit. Sunt uoces quarum accessione lingua incrementa capiat : augent eius copiam ipsa quoque uerba infinita, quorum maior fuit numerus in graeca lingua communi quam in attica : non quo eo locupletior sit sermo quo plura uerba computanda in eo sint. Illud uero permagni interest non tolli ea quae esse quaestui possunt, undecumque asciscuntur, neque, ut sermo purgetur, sermonis inopiam fieri : non peccare existimandus est nisi qui concesso iure intemperanter et peruerse abutitur. Ipsa elegantia scriptores iubet nondum tentata moliri quae in lin-

(1) Etiam ea nomina quae latine sunt Saturninus, Fronto, graece ita transferebant ut dicerent Κρόνιος, Φροντίς.

(2) CIG. 2565.

(3) *Ibid.* 2583.

guae curriculo suo loco floreant et aetatis qua prouenerunt notanda specimina sint. Conuenit quosdam esse futurae orationis effectores et praenuntios. Sic antiquitus tradita conseruandi et noua moliendi studiis quadam uice inter se pensatis lingua tamquam ponderibus suis libratur. Singulis uero temporibus scriptores linguam qua omnes utuntur optimo iure suo usurpant, non sermonem alieni saeculi asciscunt; eadem auctoritate qua superiores genus dicendi inducunt quod alternis uicibus fautores etiam studiosissimos habet (1). Oratio a uetustate repetita non est probanda nisi quoties cum eis congruit quae significanda sunt, uelut si maiestas aliqua aut ingenuus decor postuletur, et imprimis si quid noui ac proprii ex antiqua dictione feliciter imitando exprimatur, quale est illud Empedoclis

πλάζεται ἄνδιχ' ἕκαστα περὶ ῥηγμῖνι βίοιο (2)

ex Homeri uersu peruulgato effictum ἐπὶ ῥηγμῖνι θαλάσσης. Sed omnino, quemadmodum dicit Quintilianus « opus est modo ut (a ueteribus repetita) neque crebra sint neque manifesta, quia nihil est odiosius affectatione... abolita atque abrogata retinere insolentiae cuiusdam est et friuolae in paruis iactantiae... Ergo ut nouorum optima erunt maxime uetera, ita ueterum maxime noua (3) ».

(1) Cf. Gabelentz, *die Sprachwissenschaft*, p. 134.
(2) V. 251 (Stein).
(3) *Inst.* 1, 6, 20.

CONCLVSIO

Omni ex hac disputatione uidentur mihi haec esse concludenda.

Nemo fere erit quin hoc in Phrynicho mecum laudet, quod pulchritudinis sensu motus cum ceteris Atticistis fecit, ut consociata opera litteratos homines graecos qui M. Antonino et Commodo imperantibus fuerunt, ad orationis atticae memoriam tamquam ad artis praeclarae cuiusdam exemplum ipse quoque pro uirili parte reuocaret. Merito quidem, cum ille a superioribus traditam disciplinam assereret et persequeretur, scriptorum orationem sermonemque quo homines loquerentur inter se differre censuit et litteras cum a stili neglegentia tum a sordibus linguae uulgaris esse uindicandas. Est enim hominum ingenio natura insitum quoddam elegantiae studium. Nonne fuerunt apud externos populos qui nostratium lingua eiusque nescio quo sapore parisiensi ita delectarentur ut prae illa suam contemnerent ? Quid illi qui eran septimo decimo saeculo Germani ? Francogallorum gloria et operibus commoti atque illius ornatissimae orationis admiratione perculsi uiri primum docti, mox optimatium exemplo etiam homines humiliores iam patria lingua uix uti ausi sunt, et peregrina uerba non germanicorum inopia coacti sed nitore assum-

ptarum uocum allecti adhibuerunt. Non igitur mirum est ad Atticorum egregium illum sermonem, ex quo Athenae redolere uidebantur, graecos scriptores post Alexandri mortem tamquam grauiore atticae urbanitatis odore captos numquam non contendisse. Hi enim nullo non tempore dicendi genere cuiusque proprio tamquam regula usi sunt ad quam ingenii doctrina exculti mensuram derigerent. Eo spectabant praecepta de sermone tradita ut uiri optimarum artium studiis eruditi magis ad dicendum instituerentur quam ad scribendum. Etiam inferiore aetate ut poetarum et historicorum ita philosophorum et grammaticorum disciplina ad auditores potius quam ad lectores comparata erat. Hinc cura in id collata ut ne oratio hiaret neu numeris suis careret : ita dicendum erat ut et mens concitaretur et aures delectarentur. Historici non tam rerum gestarum memoriam tradere uolebant quam oratorium opus ex arte perficere, et elegantiae ita studebant ut etiam certa materiae fide potiorem eam haberent.

Qui uero res ipsas non uerborum delectum aut structuram spectabant, eorum orationem dum Phrynichus reprehendit, non existimationem suam nisi ad solitam antiquitatis rationem, id est ad artis praestantiam reduxit. Propterea enim Polybius a ueteribus rarius et parcius laudatus est quod non ita praeclarus dicendi effector fuit ut egregiis scriptoribus adnumeraretur. Quocum si eos qui imperatorum romanorum aetate fuerunt probatissimos contuleris, horum profecto elocutionem multo accuratiorem et elegantiorem

esse apparebit. Fructus igitur suci plenos confitendum est illa sermonis attici consectatione quam Phrynichus praeter omnes commendauit editos esse: Dionysii Plutarchi Dionis Arriani imprimisque Luciani, ut Aristidem ceterosque sophistas taceam, oratione nemo non delectatur. Est illa quidem laude digna dictio a quaesita et insolenter translata oratione Asiaticorum propria atque a plebeio sermone aliena. At nunc non ut Antonini aequales Fauorinum Herodem Atticum Polemonem Aristidem existimamus praecipuos fuisse scriptores sed Arrianum Appianum Lucianum, quemadmodum apud Romanos non Frontonem sed Apuleium. Primae classis scriptorem non eum censemus esse qui uerbis utitur raris et a uetustate repetitis sed qui copia rerum instructus non eximie dicit nisi ipsa uocabulorum cum sententia conuenientia. Nimium uero illud uerborum ornatorum studium cum argumentorum neglectu coniunctum putamus signum esse labentis consuetudinis rectae. Neque possumus non dolere perturbatum insano studio necessarium linguae graecae cursum et ordinem, factumque magis ac magis discidium linguae qua scriptores utebantur cum ea qua multitudo hominum. Valde molestum est quod misero funestoque fato ars sophistica et rhetorica uires Graecorum et tamquam animam ita exhausit ut nullus poeta popularis, nullus historicus florere potuerit, nullus fons uiuidus in illa solitudine salire. Praeter enim Plutarchum et Lucianum qui, cum secundo amne ferri se non passi sint, natiuum ingenium proprium et uere graecum serua-

uerunt, non est illo tempore ullis scriptis color suus et decor proprius nisi eis quae ad christianam fidem pertinent.

Valde enim cum alii errauerunt tum Phrynichus qui ex eo quod inter scribendum et loquendum discrimen quoddam esse oporteret mirum in modum collegit sermonem graecum qui tum uigebat esse omittendum eumque solum recipiendum quo ante sescentos annos attici scriptores optimae notae usi essent. Duas res igitur prorsus dissimiles permiscuit, linguam dico et genus dicendi. Non intellexit illud quod Galenus rectissime contra Atticistas dicebat etiam atticae dialecti conuersiones ac commutationes quasdam fuisse et scriptores cuiusque aetatis atticos linguam, qua tum multitudo Atticorum utebatur, ita usurpasse ut eam ad sermonis perfectioris imitationem reuocarent. Non uidit graecam linguam communem quae dicitur non magis posse accusari quod in uerborum siue copia siue flexura siue structura cum lingua attica differret quam haec potuerat quod cum ionica dialecto, aut ionica dialectus, quod cum sermone graeco etiam uetustiore. Non ei licebat nisi neglecta linguae graecae memoria, quam per aetates et gradus repetere debuit, barbarismum aut soloecismum uocare, si quid ab atttica consuetudine loquendi ad nouum habitum eumque deteriorem per aduersas temporum condiciones traductum esset. Quem sermonis cursum inhibere et in contrariam partem reuocare qui aggreditur non minus irrita molitur quam qui fluminis; nullis quamuis eruditis libellis, nullis grammaticorum praeceptis illius

progressio retrorsum reflecti potest : cui rei ipsa euenta documento sunt. Nam quae Phrynichus approbauit et suasit, accidit ut hac aetate Graecorum consuetudini loquendi ignota sint ; rursus quae reicienda esse dixit solent in ea aut eadem aut leuiter mutata reperiri.

Hoc quoque in Phrynicho ineptum fuit, quod linguam graecam ad sermonem atticum tamquam ad perfectam quandam purae et incorruptae elocutionis speciem derexit quasi ipsa oratio attica non communi omnium linguarum legi paruisset, ut multa tempore progrediente ab norma aliena perpetuo cogitationis motu et acerrima quadam hominum ingenio insita ui sermonis procreatrice efficerentur. Scriptorum est ea quae homines regulae uel minime conuenientia conformant ita probare ut deinde plurimum ualeant. Eo autem ipso dictio immutata confirmatur quod ad sententiam illius qui ea utitur aptissime accommodata est. Haec est summa dicendi ars ut quaeque optime componantur, ut non alio modo dici potuisse uideatur quam quo dictum sit. Verborum autem copia et forma et structura scriptoribus utendum est quae apud populum, praecipuum illum sermonis effectorem, eorum tempore uigent. Graecis quidem, quorum aetate Phrynichus fuit, difficillimum munus obtigerat. Non enim sub imperii romani tutela spes erat amissam elegantiam posse denuo instaurari : locus erat tantum eruditioni datus. Romanos lectores scriptores graeci cum spectarent, illi uero putida et molesta prisci sermonis imitatione delectarentur, accidit ut,

nulla mutationum quae in lingua graeca eiusque grammatica factae erant ratione habita, imitandi studium in quaesitam et peruerse a uetustate repetitam orationem, maxime autem a natura et indole Graecorum abhorrentem, abierit. In praeterito tempore contemplando perspiciendoque Graeci se totos posuerunt : his uires defuerunt ut uiuendi propriam uiam ingressi ingeniique sui praesidio confisi linguam qua omnes utebantur cogerent uictam et coercitam ea quae sensissent adaequare. Non ii erant qui Atticorum operam et munus exciperent ut Attici Ionum et Aeolum Dorumque. Nulla uero dialectus, cum quaeque ita proprio et peculiari colore distincta esset ut plerorumque Graecorum intellegentiae uix aperta esset, poterat tamquam communis omnium scriptorum sermo duci et litterarum curriculum de integro ingredi. Quid igitur relinquebatur ? ut quidem orationis probatissimae consuetudo ab Atticis scriptoribus optimis repeteretur. Sed quibus rebus ad id perficiendum maxime opus erat, iudicium dico et scientiam, iis fatendum est Phrynichum caruisse. Poterat tamen praeteriti temporis dictio cum inferioris aetatis sermone ita misceri ut oratio efficeretur cum ad litteras idonea tum ui uitali praedita. Oportuit a lingua, quali uiri honestiores in colloquendo utebantur, a uulgo non alienata sed copia uocabulorum atticorum apte aucta nouum duci genus dicendi, non receptis nisi cautissime iis elocutionibus, quae populus non iam sentiret quid ualerent, et imitatione ueterum ita commendata ut non tam uerba imitanda esse putarentur quam consuetudo atticae orationis.

Omnia temporibus nouis concedenda erant quae cum sanitate conuenirent. Nonne mixta et temperata oratione cum antiquos poetas tum Xenophontem constabat usos esse? Quam ad rationem Phrynichus ceterique sophistae quominus scriptorum sermonem reuocarent non prohibiti sunt nisi ambitiosa et inani iactantia atque opinionis praeiudicatae prauitate. Ille autem *atticismus* cui fauerunt, praestrigiae sunt et pigmenta, aurichalcum non aurum. Vt uero non inutilem operam nauauerunt quicumque pulchritudinis sensum in lingua tractanda concitauerunt et posteris tradiderunt, ita semper erunt qui in praeteriti temporis libris aliquid acrius grauius et maioris pretii quam uerborum elegantiam aut fucatum nitorem, ipsos intimi animi motus et proprias mentis cogitationes potissimum quaerant.

VIDI AC PERLEGI,
Lutetiae Parisiorum, in Sorbona,
a. d. III. Idus febr. ann. MDCCCXCV,
Facultatis Litterarum in Academia Parisiensi
Decanus :
A. HIMLY.

TYPIS MANDETVR,
Academiae Parisiensis Rector :
GRÉARD.

INDEX RERVM